





2
6
415









NICOLAI
LONDANI PHILOSOPHI,

DE REVERSIONE ANIMI IN COELVM.

Argumento ſumpto ex XV Pſalmis Graduum Dauidis.

ΠΌΝΩ ΠΑ͂ΣΑΝ

ἘΛΠΊΔΕΙ ΚΑῚ



ΤῊΝ ἘΓΚΎΚΛΑΙΟΝ.

VENETIIS,
Apud Franciſcum Rampazetum.
M D LXIX.



Vitæ Theologi.

Cum à Londano huic operi censor adhibitus, primi tantum Psalmi explicationem legisset.

Dum Lōdane tuis ascensum ad sydera chartis
Docte paras, comitem me petis ipse tibi.
Heu segnes nobis tanta ad fastigia pennæ,
Nec celer ad tantos pes valet ire gradus.
Tu mihi dux potius, mihi tu Cyllenius alas
Instrue, tu superas doctus adire vias.
Ne primo cupidū linquas me in limine, neu mē
Altius ad Diuos scandere posse neges.
Perge alias, queis me uis tecum sistere, sedes
Pandere, qua potero, te sequar vsque, via.

Andreæ Londani. D. & æquitis. M. Fr. Auc.

Δέλτος ἔχω πλοόν οὐ ναύτου πλαζομένοιο,
Πόντου ἁλιμυρέος κύμασι νηοπόροις,
Ἀλλὰ ψυχῆς ἁγνῆς ἠδ᾽ ὁσίης τὲ κελεύθους,
Πατρίδ᾽ ἐς οὐρανίην κλίμακος ἀστροθέτου·
Τῆς ἀμυδρὰν φάτιν οἱ πρὶν θνητῶν οὐκ ἐσάθρησαν·
Κοὔπι γε θαῦμ᾽ εἰ νῦν κρείσσονα δερκόμενοι.

FRANCISCI CAPIVINII. D.

[illegible]

Altam carpe viã mortalis, ſuſcipe olympum;
Sunt recluſa, prius quæ latuere, loca;
Non opus eſt tãtum rerum cognoſcere cauſas,
Docto Londani munere cuncta patent.

HYPPOLITI ANGELERII.

Qui cœlo ire cupis, quà Sacro carmine Dauid
Aſſyrios quondam tendere iter docuit;
Incipe Londani lepidum verſare libellum,
Et, tibi quam monſtrat, carpere ritè viam:
Hic nam cæca regit veſtigia numine eodem,
Quo ille hæc in cœlum dirigere edocuit.

IVLII ANGELERII.

Dum noſtros animos Ieſſei carmina vatis
Exponens, cœlo puro ſermone reducis;
Hinc velox fertur totũ tua fama per orbem,
Quam ſenſere Scythæ, quàm ſenſit & vlti-
ma Thule;
Nicoleos felix, quãdo nec tempora nomen,
Ne poterunt ſtudij cocyti gurgite fluctus
Obruere, atq; magis felix cum numine tãto,
Proximiora Deo petis; & ſua ſingula pãdis.

AD PIVM QVINTVM PONTIFICEM OPT. MAX. NICOLAI LONDANI PHILOSOPHI.



PRAEFATIO.



VLTA; quidem ſunt Pie Pont. Max. quæ conſenſu communi, humani animi abſolutionem afferunt: ſed ſui ipſius agnitionem, præcipuam omnium eſſe cauſam, nemo eſt qui ambigat. Quoniã ſe ipſum ille intelligens, Deũ quoque dubio procul (vtcũq; homini licet) percipiet, à quo trãquillitas quæque, & abſolutio manat. In eoq; cuncta, quę cœlum complectitur plenè intelliget, & hominẽ, mundum paruum, in magno eſſe, ne dicam magnũ in paruo deprehendet: atque oſſa in eo, pilos, & vngues, poſtremæ Trinitatis corruptibilium exemplar ea afferre; vngues quidem plantanimes, quæ Græci Zoophyta vocant, pilos verò plantis, oſſaque lapidibus, vt ab infernis incipiam, & modum ſciendi nobis aſſuetum ſequar. Senſus autem, & phantaſiam, pecudum, & hominum generi ſimilitudinem nobis oſtendere. Opinionem verò, ac rationem homini inſitam, Dæmonũ, & vniuerſæ intelligibilium latitudini collationem habere. Ac mentem quidem Dei immortalis, in nobis ſimilitu-

militudinem effingere, vnumq; ipſum, quod menti noſtræ, vti flos eius, & pars diuina pręſidet. Dei ineffabile vnum, ac vnitatem ſuperignotam, omniumque abſolutiſsimam, & feliciſsimã exprimere. Quod profectò vnum, cum cuique eſſentiæ ſuperemineat, & ipſummet bonum ſit, cuiusq; perfectionis numerum à primo continens, ac vltimus abſolutionis exiſtat terminus; nil ſe præſtantius, aut melius efficere potuit. Sed quicquid poſt ſe, ad ſui, admirationem, ſuiq; boni fruitionem in mundo effecit, etiam ſi mentes à nexu materię ſeparatas intelliges; ab illius pacto aliquo abſolutionem deficere arbitratur. Et hæc ſi quidem Peripateticorum potentia eſt, quam in Diuinis admittunt, cum ſolum Deum, actum abſolutiſsimum eſſe, illi exiſtiment. Hoc Platonis vehiculum, quod cœli corpus, cum mente coniunxit. Id ſpiritale corpus à chriſticolis appellari conſueuit: Angelos enim ſuos (ait vates) Deus ſpiritus efficit: miniſtroſq; proptios flammam ignis micantis. Proinde a fluxu quidem unius inenarrabili, primogenitum lumen, quod mens patri ſimillima eſt, in intelligibile mundo illuxit: animamque mundi cum vniuerſa latitudine intelligibilium ordinum, tres in cohortes triũ Trinitatum, inuicem ſubordinatas, ſupra, circa, & infra cœlum, in momento cum vario abſolutionis gradu produxit: munduſque unus vnione illicò indiſſolubili apparuit. Quarum porrò triũ Trinitatum primã, Thronos, Cherubin, & Seraphin explere Diuinorũ Diſſertatores aſſeuerant. Secundam verò, Poteſtates, Dominationes, abſoluunt & Potentiæ. Tertiam autem, Principatus, Archangeli, Angelique conſtituunt. De quibus nempè ſufficientiſsimis, ac feliciſsimis numinibus in finẽ huius operis ipſi latius pertractauimus. Et hactenus Diuini ſplendoris radij, poſtquàm in mũdo illuxere, cunctaque vita, ac anima prædita reddidere, rerum

mode-

ratoris voluntate conſtiterant. Sed & ipſa prima materia, quæ extremus terminus, vniuerſæ imperfectionis habetur; licet primum & ipſa inter materię adiunctas cauſas locũ occupaſſe arbitraretur, nihil tamen ſe deterius efficere potuit: ſed cuncta, quæ inde prodeunt, ea nobiliora ſunt, formæque cauſa meliora: primoque à ſe incipiens, corpora priuata anima conſtituit, deinde animata, ac ſenſitiua, & hęc in Natatiliũ, Greſsilium, & Volatilium animantium naturam diſtinxit: vt à ſenſu præditis, ſecunda extaret caducorũ Trinitas. Sed & tertiam Trinitatem ratione pręditam ſuggeſsit, ut intellectus ſenſui, & perennis caduca, infernaque ſuperis ipſo quidem medio, ac accommodato vinculo vnirentur. Quem profectò Trinum ordinẽ homines, Heroes, & Dæmones præſcribunt: quoniam & Dæmones paſsione præditi arbitrantur, licet illa abolitionis cauſa eis non ſit: & corpore cõmiſti, quãuis dimenſione, & affectibus careant. Quę porrò mundi ſenſitiui tres animantium trinitates, inſtar intelligibilium cõſtitutæ ſunt: ut ille qui ſe ipſum pergit agnoſcere, exemplatum perſimile eſſe exẽplari in omnibus inde clarè percipiat, vnumque lumen ineffabile, quod à Trina vnione inenarrabiliter processit: vſque ad inferna materiæ penetraſſe, omnemque regionem nimirum, & opaca loca, lumine, ac uita expleuiſſe: vt nil bonitate illius careat (quemadmodum natura cuique rerum expoſtulat) ac prouidentia egeat. Vbique enim in mundo, Diuina Trinitas fulget: cui quidẽ præclara unitas pręeſt, vt elogia afferũt, Socrateſque teſtatur. Quem profectò progreſſum, ſi exactè quiſque poſsidere aueat; hoc ordine proceſsiſſe inueniet: & catenam illam auream, quæ de cœlo, & vſque ad ima tendit, abſoluiſſe inueniet: Deus enim intellectione Angelis ſe communicare voluit: Angelus uerò Dæmoni immortalitatem impertiuit: Dæmon autem

 2 homini

homini paſsione coniunctus eſt. homo deinde ſenſus animantium particeps eſt, animantia verò plantis co hærent ſecundum animam: quod ſi oppoſito quoque modo ille proceſſerit, hunc eundem ordinatum, progreſſum, in uniuerſo reperiri deprehendet. Nam & lapis plantæ corpote adiungitur: planta verò zoophytis vita: plantamina verò animantibus ſenſu: animantia autem homini phantaſia: homo autem Dæmoni ratione: Dęmon autem Angelo intellectione: Angelus verò Deo eſſentia. Sed & tria corporum ſimplicium genera, a nexu primæ materiæ emanaſſe, ipſa nobis ratio ſuadet: elementa.ſ. cœleſtia corpora, animorumq́ue, ac cœli numinũ pura, plana, ſyncera, dimenſione carentia, ac lucidiſsima vehicula ſpiritalia: vt hac eadem ratione pugnantia, cum ſeſe inuicem, nõ compatiantur, coniunguntur tamen inter ſe, ac cõmiſcentur. Terra quidem aquæ frigiditate: aqua autem aeri humiditate: aer uerò igni caliditate: ac compoſita omnia elementis commiſtione participant, elementa deinde Cœlo qualitatum ſublimitate, ac lumine. Etenim Saturnus cum globo eius, ſiccus, & frigidus à cœtu Aſtrologorum exiſtimatur: & longo id experimento ratio poſteris perſuaſit: ſummè autem ſiccus, & calidus Sol, & Mars habentur: frigida, & humida Venus, calidus & humidus Iupiter, Luna & Mercurius medij. Ac duodecim ſigna, quæ cœlum vniuerſum ſecundum illos diſtribuunt, quatuor elementis ipſa conuenire autumant: Arietem ſcilicet Leonem, & Sagittarium igni: Taurum, Virginem, ac Capricornum, Terræ: Geminos autem, Libram & Aquariũ aeri: Cancrum verò Scorpionem, & Piſces aquæ: ac pleraq́ue ſydera, ex his, quæ immota permanent, planetarum, & ſignorum naturam ſequi, hominibus perſuadere non dubitarunt; & in dies huic opinioni manus dat experientia: & Platoni credendum magis no

bis

bis persuadet, quàmuis Peripateticorum princeps, vt immortalitatem corpori cœlesti tribueret; quintum corpus illud appellasset, & à natura elementorum seiunxit, & quācunq; sibi qualitatē abstulit, vt pugnantia inde auferat, quæ diu simul manere nequeūt. Corpus autem cœleste cum animi vehiculo, sinceritate, & lumine conuenit: & cœli globi ab ultimo, quem octauum asserunt esse, tanquàm à sui unitate complectuntur: cœlo autem elemēta, vt vnitati propriæ adhærēt: mista autem ab elementis amplectuntur, à quibus sui cōmistionis ortum nouerunt. Sin autem & concretorum corporum communionem huic cognitioni studiosus desiderat; Pili quidem, & ungues, molliores ossibus, rariores autem neruis, sanguine duriores, & carnibus, magis asperi cēsentur. In quacunque enim re, vbi series, ordoq; respicitur; medium, media ue necessariò requiruntur; in planis enim unum: in solidis autem duo media desiderari ait Timeus, in uocibus, in coloribus, in humoribus, in corporibus, in concentu, in figuris, in passionibus, & denique in orationibus. Quod sanè medium, mediáue si dempseris; ordinem quoque naturæ, ac perpetuitatem propediem abstulisti. Propterea ad unionem cœli, quod postremum opus, sed absolutissimum materiæ est; cum ipsa intelligentia, quę vltima pars Diuinitatis in mundo intelligibili habetur, corpus spiritale, lucidissimum, ac syncerum necessarium fuit: quod cum cœlo conueniret, quia uisibile, cum Angelo verò, quia immortale, ac splendidissimum: quod oculis micare in stellæ radijs cernimus, & aliud præter mentem est: mentique nostræ cum sensibus id idem spiritale vehiculū, vnionem suggessit: quod phantasiam alijs, vel phantasticum spiritum appellare placuit. Quamobrem si per hos ipsos gradus cognitionis homo descendere voluerit; à prima incipiens causa, vnum in vnitates mul-

tas

tas distrahere ei opus est; & vnitates rursus in singularium numerum, ratione scilicet sui spiritalis vehiculi: vt multitudinis causa materia sit, ne nos Peripatetici arguant. Sed vnitates quidē, quæ primæ magis adhęrent causæ, numero nempe correptæ sunt; ui autem, & potestate præ cæteris valent: quæ autē procul sunt, potestate quidem deficiunt, numero verò singulariū abundant. Sin autem ille ascendere decreuerit, multa sibi in vnum conferre conuenit: omnesque denique vnitates per gradus, ac ordinem absolutionis illius vnitatis insitæ, vni superignoto adiūgere. Nihil enim propè vnum ipsum potest accedere, Platonico Socrati suadet Parmenides, nisi vnū & ipsum prius effectū fuerit. Verùm enimuerò, an facillimum homini sit, hunc eundem ordinem, ac seriem rerum, seminaque vniuersi, in seipso inuenire, & à se quidem incipiens, seq; agnoscere tendens, hæc statim sibi simulachra appareant; sequens oratio demonstrabit; ratione q; indubia cuique persuadebit. Deum humano animo, tres potestates tribuisse, easq; in varias distribuisse regiones; quarum Principem, & consultorem optimum, & qui Regis vniuersi, in corpore; imaginem gerit, in capite supremo loco, tanquàm in arce munitissima collocauit, vt huic iubenti, ac imperanti, cæteræ partes subiectæ, tanquàm famulæ, lege naturæ obstrictæ, obtemperare, ac parere debeant. Deinde irascibilē vim, quæ concitatior, & ad agendū promptior est, atq; ad ea, quæ iamdudū optimo consilio pensiculata ab Imperatore, & deliberata sunt; perficienda aptior, inferiori loco posuit, & vt seruam consultori, intellectui subiecit. Postremo uerò loco vim cupiditatum inanē, veluti multitudinem animalium variam, proteruam, impetuosam, seruilem, plenam voluptatibus, desiderijs varijs, & contumelijs collocauit. At hanc quidem in iecore posuit; ac ea nobis vniuersa mansueta, ani-

mantia

mantia refert. Iram verò circum cor ipsum collocauit, quæ feras bestias significat. Rationem deinde in præcordijs, ac sphærum hominum, Heroum, ac Dæmonum infert. Mentem autem in capite, quæ intelligibilium latitudinem, quæ circa, & supra cœlum est, æmulatur: vnum autem, quod pars Diuina in nobis est, & mentem quidem excellit; Deum si quidem infert; & hæc profectò seiunctam à corpore operationem obtinet, ac vnum superignotum æmulatur: verùm Mentem nostram, quæ effingit Vnitatem Diuinam, quam intellectum Patris, ac essentiam Academici nuncupant; cum intellectuum uniuersam latitudinē, cui intellectiones nostras comparamus, in rotundo capite, tanquàm in cœlo conglobata figura posuere: & cerebro quiete inhæret. Ratio autem, quæ nobis ingenita est, mundi animam denotat, quę cuncta animantium genera anima prædita reddit, ordinesq; omnes ratione preditos infra mundum constituit: & in præcordijs, tanquàm in cœli inferiori globo posita est, qui animantium vniuersitatem complectitur. Irā deinde in corde, uario, vt ignis elementum, ac inceſſabili motu agitatū. Cupidinem deinde in iecore quēadmodum in sphæra aeris, vnde uniuersa ferè animantia spiritum, quem trahunt, atque quo uiuunt, exhauriunt. Et denique cōsiderare poterit quo pacto in capite, tanquam in cœlo loco luminarium, virtus visiua collocata est cum cæteris sensibus: qui cum sensu communi, ac phantasia, septem rectoribus mundi huius, quos planetas appellare cōsueuimus, similes sunt. Nam & Saturnus cæterorum planetarum parens, & auctor est, ut ferunt fabulæ, quemadmodum & communis sensus, singularium sensuum, à quo ut à puncto lineæ deducūtur & fluunt: & ad quē, ut in centro proprio denuo reuertuntur. Quapropter non immeritò Homerus Soli nēpè cuncta uidere,, & audire tribuit:

etenim

etenim cũ nobis nõ nihil obuiũ fit,& illud ſenſu uſurpare compellimur,duo nobis in eodẽ momẽto neceſſariò contingunt,paſsio.ſ. circa ſenſoriũ,atq; cognitio; at à diuinis ac ſeparatis,paſsione ablata, cognitionem dũtaxat eis relinquemus: itaq;, Sol, cæteraq; cœleſtia numina uiuere,& intelligere, ſineq; paſsione,uel affectu uidere,& audire , atque agnoſcere omnia exiſtimare oportet; cum tota eorum eſſentia uitæ,uiſionis,& auditus fœcundiſsima ſit; modoq́ue ſublimiori,quàm nos,hiſce muneribus ſenſuum fungantur. Quòd ſi figuram horum magis expreſſam,ac perſpicuã quis deſiderauerit, currum quadrigatum Platonis in Phædro aſſumere illum non pigeat: quia in eo liquidò conſpiciet; molem corporis humani, quæ ex quatuor elementorum commiſtione cõſurgit, currus,& quadriga ſignificant. temon uerò noſtrã inclinationem,& declinationem exprimit, cui ſi quidem equi,uis inquam cupidinis,& iræ alligãtur, corrigiarum tamen uinculo, quod herclè uinculũ à corpore pẽdet. Auriga autẽ animã porrò denotat,ſed opinionem,quia nimis progreſſa eſt, & uſq; ad affectus pertranſit,& ad modum commiſta corpori uidetur, fræna,& habenæ illius nobis imaginem inferunt. Manus autem Aurigæ, rationem nobis inſitam patefaciunt: & flagellum, cenſuram eius, quia inordinatas motiones affectuum, ut equorum inſultationes, regere, ac moderari conſueuit: caput autem Aurigæ, mentẽ noſtram oſtendit; qui quidem Auriga, ſi bene ualere curet, & equos ſibi obedire faciet, & currus rectè ductus, ipſeq́; Auriga nil detrimenti, aut damni utique patietur. Sed ſi motiones quoq; regulatas, alterationis, inquã lationis,& circularẽ in ſe ipſum inquiret, ſeſe agnoſcẽdi auidus, cœli motui, qui iugis, & perennis eſt, cordis motus cõparatur; ab ortu enim animantis, uſque ad occaſum uniformis perdurat. Alterationis

nis verò, & lationis, humorum commotio, quæ in nobis fit, vtrunque sanè denotat. Irregulatos autem rursus, ueluti tonitrua, coruscationes, cæteraq; id genus, ventri tumultus, & impetus nobis patefaciẽt: & vasa, quæ à renibus ad vesicam humidam materiam ducũt, Oceani in nobis æmulantur imaginem; venæ verò fluminum similitudinem exprimunt; manus uerò, & partes cęteræ, quæ ad vsum necessarium vitæ sustinendę, & propagandæ à natura hominibus elargitæ sunt, nullam imaginem exemplaris retinent, quia hæc corruptioni obnoxijs, non autem sempiternis peculiaria habentur. Non ingratum tamen fore existimo, si in animo quoque nostro, has easdẽ motiones perquiramus: nam & nostri exactã cognitionem possidere poterimus; & hunc mundũ, quem sensu vsurpamus adæquatum in omnibus mundo, quem mẽte percipimus, esse deprehendemus: hominemq; expressam imaginẽ vtriusque existere. Nam dum alijs, atque alijs formis animus successione incumbit, ob cupiditatem sibi natura insitam, vt separatis adhæreat, eisque, vtcunque illi licet, euadat similis Plato de Rep. eã alterasci per similitudinem, arbitratur. Motu autem lationis eam ferri censuit; quando circa intelligibilia loca versatur, (si loca ea appellare fas est) & vniuersam formarum, ac specierum latitudinem, intellectione percurrit; cum hæc si quidem specierum latitudo extra animam sit, & quãcunque animæ comprehendat essentiam. Itidemq; mens ipsa quatenus naturam intelligibilem obtinet, illa quoque in intelligendo, intelligibilis intellectione fit, & hoc pacto eam ex alterari existimatur. Quatenus verò in eodem, & secundum idem manens, immutabili actione intelligit, ueluti globus in centro proprio agitatus, quia cœli circũuolutionem æmulatur, motu circulari torqueri eam dicitur. Sed si ultra hæc, Platonis quoque vniuersitatẽ,

quid ſibi velit, conſiderare uolumus, cœleſtem, ac terreſtrem Hieruſalem, tot ante ſeculis à diuinis uatibus decantatam, Empedoclis litem, & amicitiam, ac Homeri duas ciuitates, quas Vulcanus in Achillis Clypeo depinxerat, antrumq; Amphiarai, Eumeniſque aulam eam eſſe inueniemus, mundiq; intelligibilis, & ſenſitiui rationem habere: & has eaſdem imagines in nobis exiſtere. Etenim cum duo inſtrumenta hominibus ad ſui conſtitutionem à ſuperis elargita ſint; alterum quidem ſimplex, & rota, quæ ſe abſque inciſione integram ſeruauit eſt, vt Timæus Platonis tradidit, & mentem appellare conſueuimus: alterum verò compoſitum, confuſum, ex multis congeſtum, uarijſq; uſibus præditum, quod profectò ſenſus uſus nominat, & rotã, quę uarias ſectiones paſſa eſt, uocauimus. Quorum profectò inſtrumentorũ, operatio, unita ſanè eſt, eorum autem eſſentia, ac obiecta ſpectra, ſuæ cognitioni ſuppoſita ſeparantur. propterea quemadmodũ ſenſibile ab intelligibili natura diſsidet, pari ratione etiã ab intellectu ſenſus; quoniam ſenſibilia, vtputa, animalia, plantæ, lapides, uoces, colores, impetus, figuræ, & iræ nobis herclè uſu notiora ſunt: Intelligibilia autem minus nota, ſui uerò natura notiſsima, mentiq; imperturbatæ ſpectra delectabilia, & eodem modo ſemper ſeſe habentia. Verùm quia mẽs ipſa adiuncta materiæ eſt, & ſenſibus aſſuetis uiuit, ortu eis naturali cõplicata, uix ab inundatione, rerumq; defluxu perpetuo, ſeſe erigere poteſt; eorumq; naturam, quæ longè à ſenſibus manent, contemplatione comprehendere, quantumq; homini licet perſequi. Quòd ſi quandoquidẽ ſe erexerit, ei per ſimilis fit, qui è naui maris turbinibus fluctuante in terrã deſcenderit: & firmis quidẽ pedibus conſiſtere nequit; ipſa quoq; à ſenſuum perturbationibus infeſtata, nõ ualet ſeipſam agnoſcere, quinimo (damni heu me) & uſus ſenſuum

ſuum

ſuũ ſequitur,uoceq́; illorũ ſępius utitur, & nihil aliud eſſe in rerũ natura, ut plurimum fatetur, quod boni ſpeciem inferat,felicitatemq́; homini largiatur, præter ipſa uiſilia, & quæ tactu, auditu, guſtu, & olfatu percipiuntur; tumidamq́; mortalium gloriã,ac inanes diuitias,à quibus quidem rarò, uel difficillimè ſe abſtinere ualet:ſobrium'ue,ac ſe continentem ſeruare. Propterea opus intellectui eſt per cõcreta ad eorum cognata ſenſilia deſcendere, ac cõfeſtim, inſtar circuli,in ſe ipſum per gradus aſcenſionum conuerti ſibiq́; proprium intelligibile in ſui eſſentiam iam expreſſum contẽpletur: id autem mundus intelligibilis eſt,quem in ſenſilibus, tanquàm in ſimulacro conſpicimus: hunc in cœleſtis Hieruſalẽ imagine,tam pręclara gẽmarum copia exornatæ, ac maieſtate decoratæ contemplamur, cuius quidem in turribus pax, & profunda quies reſsidet;è Regijs autẽ ſuis, copia bonorum omniũ,quę tempore inceſſabili manent, & abundantia ſcatet. Eundem in Platonis R.P. cõſilio, & tutella,huic inferiori mundo inferentẽ conſpicimus. Empedoclis illum etiam eſſe amicitiã credimus, quę quaeunque cõmiſtione negata, uniuerſam effectuũ elementalium litem dirimit:vnũq́; hunc mundũ ſubiectum ſenſibus,cum intelligibili reddit. Ac nil aliud, pręter id,ciuitatẽ Homeri exiſtere arbitramur, quã Vulcanus in Achillis Clypeo effinxerat, quietis, pacis,ac tranquillitatis cõfertam. Itidemq́; amplisſimã Eumenis aulam,hunc eundem intellectum, qui in nobis ſimplex inſtrumẽtum eſt,denotat. Quòd uerò compoſitum, & ſenſus diximus appellari, hęc alia nobis inferunt. Turris Babylonia giganteo impulſu ad debellandum cœlum molita, qui quidem Gigantei impetus,affectibus,qui in nobis ſunt ſimiles,à mẽte moderatrice omnium,confuſione primum compreſsi,in linguas,& gẽtes uarias,hoc eſt diuerſos mores diſtin-

cti sunt: Terrestris quoque Hierusalem fames, ac pestis miserabili flagitio depopulata, armorúq; , ac belli strepitu solo, si quidem, æquata; gens seruilis quoque in Platonis Rep. quia ad sola uitę necessaria sufficit; cupidini, ac uarijs sensuum muneribus cōparantur: Lis itidem Empedoclis quę huc illuc mundū hunc agitat, & quietam tot fratrum habitationem in uno deturbat. Alteraq; ciuitas Homeri, ululatus, dissensionis, & perturbationis repleta: ac Amphiarai antrum quod ramorum spissitudine, qui mundi perturbationibus comparantur, aditum cuique ad salutem accedenti negant, omnemq; eò ingressum homini implicant Ex quibus oībus superius enarratis patet, quòd mens nostra, dum se ipsam pergit agnoscere, in se primò necessariò conuertitur, ac sui intuetur essentiam; intellectiones proprias colligēdo: proinde & primò se ipsam intelligit; ultra autem progrediens, & essentiæ propriæ exquisitam agnitionem inquirens, mentem quoque uniuersi in se inuenit, omnesque intelligibilium ordines offendet: ad abdita autem proprię absolutionis procedens, Deorum qooque genera cuncta, & unitates rerum illi detegētur. Cuncta enim agnoscere nati sumus, excitatis potestatibus, quę nobis innatæ sunt, rerumque detectis exēplaribus, quæ natura insita gerimus; sensu tamen sensilia, intellectu autem intelligibilia, ratione uerò media, opinione deinde, ac phantasia, spectra subobscura vtriusque, videlicet phantasia spectra sensus, sed in melius, opinio autem rationis, sed in deterius. Verùm præ cæteris omnibus optimū operationis intellectus nostri id esse arbitrandum, in quiete suarum potestatum (quę illum assiduè instar Euripi hùc illùc agitant) ad ineffabile vnum ascendere, circaq; illud flore mentis volitare perpetuò, omnemq; animi nostri multitudinē, morum scientia, ac ueri cognitione expiatam, atque

cohibitam,

cohibitam, nec non rerum naturalium ſimulacris excitatam, ad eiuſmodi unionem dirigere, ac cunctis quæ poſt vnum ipſum ſunt, poſthabitis, illi ineffabili adhærere. Hactenus enim animi noſtri aſcenſus permittitur, vt vſq; ad ipſam omniũ cauſam perueniat; vbi uerò eò acceſsit, & loca felicitatis à primogenito lumine illuſtrata conſpexit; inde ordine ſeruato deſcendens, atque per rerum naturam tranſiens, multiformes rerum ſpecies colligendo, & vnitates omnes, numeroſque percurret, & quo pacto denique quæq; res illa intelliget à propria vnitâte prouenerit, quia tunc abſolutam nimirum ſui ipſius, ac rerum diuinarum, humanarumq; agnitionem poſsidere cenſetur: Deorum trinam progreſsionem in ea, quæ extant cognitam, & rerum erga Deos ordinẽ, ac diſcretiones perceptas, & qua ratione cuncta conueniunt, & inuicem diſsident. Quæ profectò cognitio, vt facilius homini eueniret, cunctaque bona, quæ huius agnitionis cauſa illi contingere demonſtrauimus, Vatum ſeries vniuerſa, ac Philoſophorum propago, cũ in Deo Opt. Max. duas poteſtates præcipuas animaduertiſſent, alteram, per quam ſe ipſum ille intelligens, & in ſe manens, admirabili ordine, ſolo ſupercilio cuncta moderatur, & regit: alteram uerò, per quam ſe ipſum extra propagans omnia in vnitate producit, donataq; perennitati continet, ac bonitatis ſuæ exuberantia vniuerſa gubernat, omnibuſque pleniſsime prouidet; & has eaſdem poteſtates in nobis, vt in ſimulacro Diuino per mentem, & rationem exiſtere; duo quoque genera Philoſophię ipſi excogitarunt, actiuũ ſcilicet, & contemplatiuum, quibus poſſent facillimè animum, ab hoc tetro carcere, vt Platoni placuit, ſiue ſepulchro uiuo, vt Triſmegiſto lubet, toto conatu eximere, & à tetris infeſtiſsimæ materiæ tenebris liberare, ac ſeparatis numinibus, unde ille deſcendit, reſtituere,

tuere,

tuere, illatoq; vulneri aptum quidem remedium affer re. Etenim actiuum Philosophiæ genus, à longo sopore expergefactum animũ, corporis societate contractum, à quo quidem sopore (vitæ hominum comparato) & Epimenides tam diù in Dictæi Iouis antro detentus, per quinquaginta annos continuos dormisse affirmabat; partes illius confusas, ac incompositas, varioq; tumultu generationis turbatas, affectuumq; impetu, & sensuum illecebris, hùc, illùc agitatas, sciẽtiarum ductu benè, ac beatè uiuendi rationem, in vnionem, armoniam, ac consonantiam contrahit. Cõtemplatiuum autem, quia intellectui illi memoriam reuocet; pristinu m felicitatis suæ statum, quem antequam corpori complicasset, in Dei immortalis vnione fruebatur: actuq; cuncta, vt sufficientissimus, quæ nunc transitione, ac particulatim intelligit, & in unionẽ, diuisa, à nexuq; separata materiæ, quę ex materia cõstant; locoque cœli, has in tenebras, & regionem, tumultus, ac vlulatus confertã incidit, vt pulchritudine cœli, summique boni felicitate allectus, se ipsum pergat agnoscere, & Aristeo similis, deserto quidẽ corpore, alaq; identitatis soluta, quæ dextera est, & vim contemplatiuam denotat, altera verò alteritatis, & actiuæ comparatur, à nodo naturali quantum licet soluta, quo nectuntur corpori, ceu columba Dauidis pura, ac candida, post quàm in hoc seculo hac duplici associata vita volitauerit, in futurum quiescet: sed opus ei prius est, vt abdita terræ inuestiget; mare vastum transeat, passim per totum aerem volitet; cœlum vniuersum permeet; terrarum orbem peragret, cum sole simul mundum vniuersum lustret, vnà cũ luna, varia vicissitudine conuertatur, syderũ choro ornatissimo æthereos orbes perpetua reuolutione circuncurset; & in eis, vt in libello, arcana Dei, ac futura descripta, ad cœlestium numinum intelligentiá, ipse quoque,

quoque,vt licet,pernoſcat, eiſq; hoc medio perſimilis,quantum fieri poteſt euadat ; vt cũ Ioue entia denique omnia vnà moderetur,& regat,ac bonis quoq; illius inenarrabilibus fruatur]. Cuius porrò medelæ, aptique remedij inuentores,ante Platonicum Socratem,& Ariſtotelem,nec non gentilitatẽ Philoſophorum omnium,Moſem ipſum Diuinum inuenio, Dauidem,& Salomonem, ac præclarum Vatum conſortiũ laudabile , qui hos ipſos præ cæteris æmulati ſunt. In ſuo enim mundi ortu Moſes,vti contemplatiuus Philoſophus de exemplari, mundiq; imagine prius pertractauerat:de exemplato verò deinde , qui mundus ſenſitiuus eſt , ac imago habetur imaginis , quemadmodum Platonis quidem Timæus , ſolertiſsimus Moſes interpres,poſteritati teſtatur , & in progreſſu nos id planum effecimus. In Deuteronomio autem,& Numeris,de legibusdiuinitus enarratis agit,quorũ quidem ſemina,quia Pythagoras pedeſtri oratione mundo diſſeminauit , meritò diuinus habebatur . Cæteri verò eius libri, morum ſcientiam explent , actiuamq; vitam perficiunt,facta enim virorum Illuſtrium, quę laudãda ſunt,extollit præconijs:quæ verò vituperanda,vltorem Deum eorum oſtendit ; vt horum exemplo quiſque a malo declinet , illorum autem toto conatu vitam piam,benè,beateq; viuendi expetat : initiumq;,ac finem vniuerſæ illius ſcientiæ eſſe , vt Deo quidem homo placeret , omnemque actionem ſuam ad illum,vt finem ultimum, & abſolutionẽ dirigeret ; ceu his,qui fons omnium bonorum,vitæ, ac dignitatis cuſtos,diuitiarnm,& honoris elargitor cenſetur ; & nihil ſine Deo denique quiſquàm incipere,vel finẽ illi imponere audeat.Inde ſapientiam Salomonis, ac prouerbia ortum ſumpſiſſe arbitrantur: quæ profectò ſapientia,ſtatum animi contemplatiuũ denotat:prouerbia autem,actiuam uitam undique documẽtis ſtipando

pando

pando instruunt. Sed Dauidem illum insignem Regẽ, & eximium vatem, Deoq; probatum, & charum, à quo Salomon hæres Regni, ac filius sapientiam exhausit, omnemq; vim dicendi deprompsit, non sine periculo præterire fas est. Etenim postquam ille diuino flatu sapientiæ, ut uas ad hoc electũ, meritò afflatus est; Apollini ipse liram abstulit: ac Museo, Lino, & Orpheo cũ sua Caliopeia, cęterisq; musis, tacere persuasit. Cõtraq; vates cæteros, tàm Græcos, quàm Latinos, etiã si Homerum, Hæsiodum, & Pindarum dixeris, quos tàm uehementer posteritas admiratur, trophea locu pletissima, spoliaque opima erexit. Quoniam abdita Dei mysteria quantum licet hominibus pandit: operaque illius inenarrabilia maxima cum admiratione omnium laudat: delinquentes ad conuersionem reuocat: pœnitentibus autem salutem pollicetur: humilibus misericordiam promittit: superbis autem Dei resistentiam minatur: spiritalium scelerum deformitatem medetur: lachrymis, ac gemitu abstergit corporalia: Iram compescit prudentia: cupiditates autem nutu legum cohercet: linguam, & sensus cæteros expiando moderatur: & in summa nihil reliqui fecerat, quod ad institutum vitæ piæ, morum integritatẽ, Dei agnitionem, humaniq; animi absolutionem, salutem, ac felicitatem conferat. Quæ porrò omnia latê, fusimque per vniuersum eius opus diuino furore excitatus pertractat. In quindecim autem Psalmis, quos sanè gradus, siue ascensus appellare voluit, admirabili sapientia, per vtilem scalam, videtur construxisse; quæ tutam, facilem, breuem, ac salutarem viam, mortalium generi in cœlum redeundi suggerit. Cuius quidem scalæ natura tenuis, nutu quidem Dei vbi mihi detecta est; vtcunque mihi licuit eam posteritati patefeci: ne vt auarus seruus, aut inuidus, thesaurum mihi reuelatum abscondisse,

siue

siue talentum creditum, in terram immisisse videar. haudquaquàm enim abditare fas est, quæ nos nostra industria ad communem hominum utilitatum inuenimus, siue ab alijs inuenta accepimus, nè vt inuidi à cœtu bonorum hominũ damnemur, Immortalemque Deum, cuiusque boni vberrimum largitorẽ, male imitantes simus deprehensi. Sed an voti cõpos in hoc euaserim, Diuiniq; vatis germanam sententiam adamussim perceperim, id alij iudicent. Modũ autem in structura huius scalæ, hunc seruare volui. In primordio namq; eius, Dei sempiterni bonitatẽ obtestatus sum, & cœlestium numinum auxilium inuocaui, vt lumen cœleste mihi insitum, caligine autem mundi, & generationis obumbratum, excitare, ac detegere velint, ea prius discussa, & quocunque impedimento deposito, vt cùm de illis verba facturus essem, vera, & quæ sibi pro dignitate conuenirent, dicerem. Deinde arbitratu meo hùc illùc deuagatus sum, ac multiformẽ, & variam rerum cognitionem, præstanti, limatoq; studiosorum iudicio proponere volui, sed integram intentionem auctoris seruaui, & ab instituto proposito non declinaui; ordinem imitatus eorum, qui animos hominum in Cereris mysterijs initiandos, ad expiationem vti solebant. formarumq; corruptibilium varietatem, ac vim Dæmonum, qua animum initiantiũ tremebundum reddebant, obiecta re terribili, & à veri agnitione remouebant, prius ipsi propellere cõsuerint. Ac bona quidem quibus cæteri, malo animo perperam vsi sunt, nos sanè bono, in vsum scientiæ, ac bonorum disciplinam ad pietatem contraximus. At in quinto porrò psalmo plenè explanauimus, in quibus nobis Dęmones aduersentur, & quomodo, & propter quam causam: vt quisque illorum vafra euitare, ignitaq; iacula facillimè propulsare, & ab eorum insidijs se tueri valeat. In septimo autem progressionem

Dei bonitatis in his inferni regionibus, eiuſdemque
inenarrabilis luminis in ſe conuerſionem, cum quo
quidem regreſſu vniuerſa complexus eſt; ſub myſti-
co nominum velamine, modis ac figuris quę humanæ
fragilitati conueniunt, liquidò expreſsimus. Vbi verò
è longo ſopore expergefactum animum agnouimus,
ſupernæq; regionis non immemorem, quinimo toto
conatu ad reditum paratiſsimum eniti deprehendi-
mus; promptum ſibi auxilium afferre non deſtiti; ra-
tioneq; indubia ſibi perſuadere hunc ſanè reditum,
non modò vtilem admodum, verùm etiam omnino
neceſſarium eſſe: ac aſcendenti nihil dæmones obſiſte
re poſſe, valido nempè medio, infractaque concluſio
ne, in decimo gradu demonſtraui. Quaſobres cũ iàm
animum perſuaſum nouerim, vltroq; intrepidè gra-
dum vndecimum aſcendiſſe; quæ Deus ad humani ge-
neris ſalutem, ſuique admirationem maximam, ac ſe-
paratarum mentium fruitionem cum admirabili or-
dine, ac ſapientia effecit; illi promptè & vt potui
obtuli. Poſtquàm verò lætum hunc eundem in cœli
ſummitate perueniſſe conſpexi, victoremq; omnium
affectuum, in medio cœleſtium numinum conſediſſe;
ad Dei vſque immortalis domum & aulam illum duce
re non dubitaui, abditamq;, ac minimè comprehen-
ſibilem etiam Angelorum intellectionibus, Diuinam
Trinitatem, ducem ſapientiæ chriſtianorum tutiſsi-
mum, cum vniuerſa cœleſtium numinum præclara la
titudine detexi: quantum res ipſa ſcilicet patitur, &
mihi conceſſum fuit: eiq; conſpectum haudquaquam
Domini, ſed terga, & locum, in quo ille conſtiterat pa
tefeci: quippè cum quid ille non ſit nobis ſcire dũta-
xat permittatur; quid autem ſit, noſcere factu impoſ
ſibile arbitretur. Sed eò vſque deductus, irradiatione
illius inenarrabilis, ac rutili luminis proſtratus, lin-
gua quoque, & vox correpta eſt. Propterea primò lo-

cum,

cum vt debui, veneratus sum: ipsumq; vnum ineffabile præ timore nimio, caligantibus mentis oculis silentio celebrare cœpi. Quod ita fieri debere tunc & Dauidi & Parmenidi credidi, & id idem Socrati contigisse fatenti non dubitaui. Quippè cum & Dauid insignis Vates, in præcedentibus psalmis, eum, qui in cœlum tendit ascendere, vberrima oratione, fusaq; verborum copia admoneat; huc tamen postquàm & ille accessit cœli incolas ad Dei laudem pro dignitate adhortando, à dicendo ob loci reuerentiam, linguā cōpescens se paucissimis absoluit. Hac ratione itaq; Diuini Dauidis scalam, nostrique viam ascensus ad superos cùm iam absolutam pro virili viderem mecum cogitare cœpi; sub tutela cuius nominis hoc quidem opusculum in lucem edere possem: At cùm ex magnitudine id metiri iudicassem, paruum quidem præsidium deberi sibi ad tutelam censui: cùm & opusculū paruum, & auctor illius humili ingenio sit: itidemq; nauicula parua, temone paruo indigeat; paruusque miles, armis breuibus vtatur. Sed cùm rerum naturam (Pater Beatissime) properans percurrere ingressus sim; nullamq; rem magis humanam solere prudentiā extollere animaduertissem, præter ipsam rerum exactam cognitionem, quæ syncero iudicio perpendit, & iudicat; quid cuique rerum conueniat, vel non conueniat: & quæ huic aliena sunt, alij verò propria; vndè cuiusque rei agnitio, & firma sapientiæ possessio oritur; exilitas voluminis me nō deterruit: quoniam pondus non autem amplitudinem sapientes considerant; & mare, quod nauigatura nauicula sit, portūq; ad quem proram dirigit perpendere conuenit. & militem cum quo dimicaturus sit animaduertere oportet quia huic cum mundo, cum se, cum Diabolo prēliari necesse est; Illi verò cœlum portus proponitur; nauigatio autem per hoc immensum mare tirānica

 libidine,

libidine, ac effectuum excitata cupiditate cõfertum, transitum sibi futurum. Ita vt in tam sæuis mundi turbinibus, ac procellis, gubernator peritissimus huic necessarius sit, illi verò pugnandi peritia, genusque armorum aptũ, ac dux fortis, ac sapiens conueniat: quẽ te vnum esse in christianorum cœtu nouimus, qui nauiculam Petri moderatrice omnium sapientia, ac integritate præstanti gubernas; militi autem Pio, ducem te præclarum, ac fortem ad salutem pręstas. proinde ritè ut censeo, indicaui: quòd quemadmodum hic ascensus, & scala, insigni Patriarchæ Iacob à benigno rerum æstimatore primùm detecta est, ipse verò supremum illius aditum, cœli auctor obtinet; hunc inferiorem ingressum, non nisi tibi Pontifici Maximo meritò conuenire; cui profectò iampridem custodia, clauesq; huius aditus ab ipso Domino traditæ sunt. & nomen tibi Pons eiusmodi, hinc in cœlum transeundi dedit. pręsertim Pio, re nempè, ac nomine, cœlestisque viæ Duci peritissimo, & qui virtutes vniuersas, quæ scalæ gradus perficiunt, non modo in alios laudat: verumetiam ipse, vt eminens alijs, absolutè meritò præ cęteris firmiter eas possidet, & exercet. Præterea insignis Regis, Vatisq; eximij opera siquidem admiranda, nullis quidẽ alijs, quàm pręstantiori cęteris terrę Regibus tibi vni prorsus deberi existimaui: Quamobrem ne tam liquidæ rationi obsistere videar, quocunque respectu post habito, tuę Beatitudini opusculum hoc offerre volui, & sub tutela nominis tui felicissimi in lucem quidem ædere. At si tibi cui, iure opusculum hoc debebatur, traditur, & illud à negantibus posses sine controuersia exigere, tamen id etiam commodi inde mihi euenire prospexi, quòd obtrectatorum quoque venenatos aculeos, facillimè euitare poterit, diuq; felix viuere à tam præclaro numine protectum. Quod Pontifices omnes,

qui

qui ante tot secula fuerunt, omni virtutum genere æquauit, ac nonnullis maxime excelluit. Propterea CHRISTO seruatore annuente, spiritu autem veritatis opus perficiente, æquè te Pontificem suæ sacratissimæ ecclesiæ, ac Christianæ. R. P. cōsensus patrum omnium quo vllus vnquàm maior declarauit; Atque Pium secundum, cuius quidem nomen, prudentiam, & bonitatem æmulatus es. Benedictum XII, cuius integritatem Religionem, & sapientiam superasti. Et Nicolaum quintum, cuius benignitatem, scientiam, & erga bonos liberalitatem imitandum animo proposuisti. Etenim omnem speciem iniquitatis, Pontifex optime, ab ineunte tua ætate odisti, toto autem conatu dilexisti iustitiam, nec vnquàm animus tuus semper pius, bonus ac integer, Deum, cui cuncta patent, latuit: qui verticem capitis tui quia gratiarum corona secundum Salomonem exornatum vidit, Ideo letitiæ oleo præ cæteris tuis fratribus Deus tuus te vngere voluit. Nam nec in tàm magna fortunæ tuæ mutatione aliquid tuæ integritati, ac bonitati vertisti; Cùm multa quidem essent, quæ sine minima nota, cōmutari potuissent; quæque gradus excellentia, ac dignitatis splendor exigebat, ac cuique bonorum ea facere licuisset; etiam si Petrum huius sacratissimæ sedis præclarum initiū dixero. Tu autem altiora respiciens, quæ cæteris in honore erant, contemnens, in omnibus quidem tui parem, ac vndiq; moribus persimilem, teipsum seruasti: quod difficilius in rerum natura esse existimo, quàm seipsum noscere. Et vt Vicarius CHRISTI seruatoris nostri in terris, & Vitæ illius immaculatæ, irreprehensibilis, ac sacratissimè æmulus, Pacem vbique disseminas, interque priuatos, & Principes conseruas, atque in dies auges; & huius quidem medio vniuersum in vnionem coerces, contraq; immanissimi Barbari impetus, eos excitare, ac

hortari

hortari non desinis. Itaque communi omnium consensu, in te omnis spes sacratissimæ Hierosolymæ, & infelicis Græciæ redimendæ, ac è manibus tàm diri Tyranni recuperandæ, posita est. Regibus namq; superbis, & impijs, maximo eorum cum detrimento resistis: CHRISTI autem fidelibus, & qui Ecclesiæ tuę non recusant imperium, munificum auxiliatorem, ac acerrimum defensorem, te ipsum etiam non rogantibus polliceris. Pastor enim bonus, non mercenarius es. Quamobrem te vnum in terris agnoscimus, quem nulla vnquàm humana facundia pro rei dignitate, satis laudare valet. Tu enim Grçcos, Tu Latinos, Tu omnes gentes, & linguas ad Diuinæ pietatis syncerã scientiam, morum ornamenta, & humanitatem reuocasti, fidemq; malorum opera periclitantem, integrã tua bonitate seruasti. Ideò tibi leges, tibi sanctiones, tibi honestos mores, tibi salutem animi nostri, acceptam referimus. Etenim hæresiarcas omnes procul à tua integritate, atque prudẽtia semper expulisti. hæreses autem cunctas quæ vt pestis mortifera, vniuersum ferè iam annis quinquaginta inuasere, tua industria, ac studio, è medio tollere curasti; nunc verò & dignitatis splendore, radicitus eas euellere decreuisti: & tàm arduum negotium, quod cæteri Pontifices vix tentare ausi sunt; tu iampridem cœpisti egregiè, & Deo auctore tuis inceptis fauente, exoptato cũ immortali tui nominis gloria perficies. Vt te præ cæteris omnibus tãquam saluberrimum, ac beneficũ mortalium generi numen, vniuersi christiani homines toto animo, ac voluntate meritò venerare valeamus. Tu enim vbiq: pacis auctor es, dilectionis Princeps, charitatis quæstor, liberalitatis œconomus, Ecclesię autem tuæ incontaminatus Pręses, & christianę R. P. custos quidem acerrimus, & qui honores, diuitias, cæteraque honesta animi oblectamenta, vt necessaria

pascua,

pascua, gregi tuæ pro cuiusque meritis elargiris. Vniuersam autē Ditionem tuā, ab oneroso multorū vectigalium pondere liberasti quia pauca integritati vitæ tuæ sufficere iudicasti. Idcirco popinatores apud te otiosi sunt, Cœlesti namque religionis manna, ac nectare sapientiæ, & Ambrosia immortalitate donantem, non autē epulis corruptioni obnoxijs vesci consueuisti: & nunc Romæ Pigmentarij vacant, Myrrhā enim, Gutam & Cassiam, e religione, mansuetudine, & charitate tua vestimenta redolent. Et in dies te tàm gratum, atque beneficum Christianæ. R. P. prębes, vt omnes te amare, non autem timere intelligis, cunctosq; tibi annos quidē Nestoreos, ac profundā quietem, & tranquillitatem obtestari; vt hac eadem ipsi quoque tecum perfrui valeant. Et Reginaldus quidem Diuus Vates, exultauit spiritu, quia hanc diem electionis tuę quā Deus effecerat prospexit, & cū hoc nostro cęco seculo meritò lætatur, quoniam splendidissimos radios tuę lucis flammineę, quascunque densas tenebras, quæ hanc infernam regionem iampridē occuparunt, excussisse viderat; omniaq; opaca non secus ac sol ęstiuus expulisse; teq; quia perinde ac Michaelem altiuolantem Archangelorū Principem, tot antea seculis syncero mentis acumine pręuidit; iure optimo auium Principi, Aquilę scilicet, comparauit. Quoniam quemadmodum in illa ætas renouari per Dauidem cōsueuit, pari pacto in te, prisca mala prętcribunt, cuncta autem noua, læta, ac decora, in formosissima CHRISTI sponsa Ecclesia, in hoc aureo seculo, te regnante apparebunt. licet te nido carere dixerit, Deo enim semper humilitas placuit, eāq; præter spem omnium vndique exaltauit. A quo quidē summo rerū parente, tu quoque pientissime, in premio bonitatis tuę, & humilitatis nunc in sublimi elatæ, præstantem censuram Pontificatus acceptam geris,

ris, qua mortalium vitam piè regere, & instituere non desinis. Proinde te solum Dominum in terris agnoscimus, tibique dignas primitias lucubrationum nostrarum, vt holocaustum, & odorem incensus offerimus, cùm nil reliqui nobis sit: omnis enim fortuna nostra vi temporum, à Turchorum Rege immanissimo sæuiente, proh dolor, vnà cum patria nobis momento erepta est, Ars autem parum dedit, & si ingenij bonitas nō defuerit. Tu autem Pater pientissime, oblatum munusculum qualecunque illud sit, quę tua pietas est, grato animo accipias; & vires quidem nostri quid possint ingenij, non autem quid amplitudo, & excellentia tua mereatur considera. Ac literatorum dignitatem, cui nunquàm defuisti; nunc magis, ac magis tueare: Atque, vt sperant omnes, quanta maxima poterit accessione, tua quidem pietas immensa augeat. Quæ Christianæ desiderabilis. R.P. diu felix, ac gloriosa Valeat.

INDEX EORVM, QVAE in hoc volumine notatu digna continentur; vbi A priorem, B, verò posteriorem paginæ faciem ostendit.

Bona

Deum

merum

Rachel

Socrates

FINIS.

DE REVERSIONE ANIMI IN COELVM, ARGVMENTO SVMPTO E' XV. PSALMIS ASCENSVVM DAVIDIS,

NICOLAO LONDANO PHILOSOPHO AVCTORE.



ANTVS Graduum, secundum latinam dictionem, secundum autem græcam septuaginta duorum conuersionem, cantus Ascensuum: quoniam ἀναβαίνειν penès eos ascendere denotat. unde ἀναβαθμοὶ, ascensus rectius, quàm gradus dixeris: hoc enim spatium, & locum, in quo ascensus operatio fit, illud uerò ipsummet ascensum, & motionem significat. Symmachus uerò, & Aquyllas insignes inter omnes, qui Psalmos ipsos uerterunt, huic (ni fallor) astipulantur sententiæ. etenim εἰς τοὺς ἀναβάσεις, hoc est in ascensibus, ipsi quoque hanc inscriptionē interpretati sunt. Causa autem, pro-

pter quam Diuinus quidem Vates, hisce quindecim Psalmis, hanc inscriptionem proposuit. uaria scriptorum extat sententia, quæq; tamen (iudicio meo) consona ueritati, & menti auctoris conueniens. Tametsi Marco Antonio Flaminio, uiro alioqui in humanis literis præstantissimo, dissona ueritati uniuersa, & fabulæ persimilis uideatur. Cur autem id sibi contigerit, ipse quidem non exprimit, nec syncero studiosorum commisit iudicio: quamobrem omnibus in suspicionē iure merito uenerat, alterutrum sibi ex necessitate euenisse: uidelicet, uel quòd antiquorum sententias, si quas uiderat, explanare nequiuit, uel ex se nil boni nobis afferre potuit. Iccirco inique à se damnatas sententias antiquitatis nō retulit, nec suam illis meliorem in mediū protulit. Verum enimuero ne nimis acris in hoc alicui uidear, tantiq; uiri, errorem leuem uehementer reprehendisse deprehendar, id aliorum committo iudicio. Opus incœptum expediam, quidq; Ascensuum nomē sibi uelit, selectis prius nonnullis antiquorum sententiis, proferam.

Græcorum ferè omnium, & Latinorum, qui Psalmos Dauidis enarrauerunt, communis sen-

tentia est: Psalmos Ascensuum fuisse scriptos à Dauide, populi captiui Judæorũ de Babylone prospiciente reditum, hac fortassis ducti ratione, quia in Psalmo CXXI. qui tertius est Ascensuum, uel (si mauis) Graduum, Diuinus Vates ait; Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus; Et in CXXV. In conuertendo Dominus captiuitatem Syon, facti sumus, sicut consolati; aperte demonstrat. Quam profectò tantorum uirorum sentẽtiam refutare, absque euidenti nota haud ne posse uideor, præsertim cũ & uerisimillima sit, & auctori non incongrua. Variis.n.modis, populum ob peccata redarguens, plerasq; lamentationes pius Vates illius effuderat causa, Deum ad eorũ sæpius aduocando auxilium, quod cũ obtinuisse longè prospiceret, rursus eos consolatus est. Sed non ingratum piis fore existimo, si & nouam intentionem quis excogitauerit, congruam tamen (ut reor) sublimitati intellectus Diuini Vatis, & afflatione supremi numinis condignam protulerit; Nihil enim humile, nihil sine maxima admiratione diuinæ sapientiæ conuenit.

Vidit insignis Patriarcha Iacob, dum ad sibi uxorem, iussu patris, de aliena regione, ducen-

dam procederet, Scalam, quæ de terra proueniens, cœlũ ipsum attingeret, uel de cœlo descendens (ut melius dicam) usq; ad ima terræ perueniret, & quæ ascensum, & ascensum suggereret facillimũ angelis, adde & hominibus, qui uitam illorum ducunt in terris simillimam; cœli uerò pater omnipotens, Scalæ extremum teneret aditum. quæ porrò Scala & si plerisq; referre uisa sit, immunem ab omni macula, Deiparam, & semper virginem Mariam, tamen huic uti ueræ minime reclamans sententiæ, aliam ipse quoq; afferre haudquaquam uerebor. quæ quidem si uera, ac Diuino Vati consona videbitur; laus erit semper Domino: qui mihi quoq; in hac sæculi extremitate, licet uariis inuoluto mundi sordibus, splendorem ineffabilis suæ non negauerit sapientiæ. Sin minus, meæ ascribetur imbecillitati, & audaciæ, quia meas, ultra quàm possent uires extendere, intraq; nubem (ut Moses) accedere uolui: quamuis essem unus de populo, cui uix uocem Dei audire permittitur; & hanc prius expiatus, & sub tonitrui, & tubæ strepitu, omniq; destitutus uirtutum genere, & ueste non minus sordida indutus, inter accumbentes, uti dignus annumerari uolui.

Scalam igitur illam ego pientisſime Pontifex, conſiſtere cenſeo duobus ex tignis, uel lignis laterariis, & duodecim gradibus, qui uſq; ad Lunæ globum perueniunt, quamuis id Iacob non proferat. Tres uerò alii, qui uſque ad tertium cœlum porriguntur, omnesq; ſimul, uiam eſſe uirtutis humani animi, reuerſionisq; peroptatæ in patriam, atque noſtræ ſalutis initium. Quæ porrò Scala ad tertium uſq; cœlum genus mortalium (ut quondam Paulum) euehit, eaq; priſcis uel incognita, uel non perfectè erat cognita, ut poſtea dicemus. Quid igitur Scala ſit, diximus. Quid uerò illa ſignificet, & unumquodq;, quod eam conſtituit; dicam deinceps. Ligna lateritia, quibus infiguntur, & ualide ſuſtinentur gradus, gratiam eſſe Diuini ſpiritus arbitror, quæ fouet, & ſuſtinet legis duodecim mandata, duobus poſterioribus additis, Dei dilectionis, & proximi. Siue traditiones ſymbolicas, quæ ex duodecim apoſtolis prouenerunt, nobisq; uiam ſalutis oſtenderunt, & Chriſti patris ipſæmet ſapientiæ ſuggeſſerunt placita. Siue fontes uirtutum duodecim, quos ſanè animus, tyrannidem Pharaonis effugiens, quiq; diu per deſerta delictorum

errauerat;

errauerat,in Elim qui aſſenſum dicit,tandem in uenerat,quibus ſtatim expulit, Maran aquæ amaritudinem,& terram lætus deinde,promiſſionis petere cœperat. Qui quidem gradus,quidquid horum eſſe uoluerint:ſine lignis laterum, aſcenſum alicui præſtare non poterant,omniſq; conatus, & opera, inanis exiſteret uolenti eò aſcendere: ita ut ne gradus ipſi ſine lateribus, nec latera ſine gradibus, aſcenſum cuiq; facillimum,& ut naturæ conuenit,præſtare poterant, ſed ſimul cōſpirata gratia, & digna virtutū opera,noſtræ ſalutis afferunt aditum: quamobrem ex neceſsitate cogeris annuere,nunquam ſine gratia,abſoluta opera,ſineq; perfectis operibus gratia,præterquam in baptizatis paruulis. Sed cum tam amice conſpirent inuicem, nuſquam ſine altero inuenies alterum. Quo fit,ut inde deducatur indubitata concluſio, natura nempe gratiam,ab hominum electione,inclinatione,& voluntate ſeiunctam exiſtere: volentiq; aſcendere,ſe ipſam uiam planam,ſemper offerre,& facilem,pleraq; bona delectabilia, quæ fari non licet,hac ex reuerſione polliceri homini, nolenti uero,uoluntatem non cogere,quia bonū,quod Deus mundo elargitus eſt; cultorem quoq; expo-

postulat labori deditum. Ac vtroq; motu bonum à nostro consilio capitur, aut deseritur. & sic arbitrium nostrum immune cuiusq; serui tutis necessariæ permanet, licet diuina gratia, ac prouidentia, quam alii catenam auream nominant, quæ de cœlo, usque ad ima protenditur; iugis intelligatur, inuariabilis, constans, atq; perpetua. Idq; non sine causa, quamuis extra rem alicui fortasse uideatur.

Sed posset hic uir doctissimus merito ambigere, an nostra hæc duodecim uirtutum genera, eadem sint, quæ placent Peripateticorum principi, & unde ipse habeā, quod aquarum fontes, uirtutum denotēt nomina; legisq; decem dogmata, cur penes me, facta sint duodecim, cū quæ dilectionis sunt, non sint ab hisce uaria; quinimo cuncta dictū sit, ex his duobus pendere, & in hæc tantū duo denuo reuerti, ut & Diuo Paulo placuit; At si tandem demonstrētur duodecim, cur prisci illi Vates, atq; Pontifices, & cæteri Deo placiti, qui per hæc semper accesserunt spatia, cunctaq; per momenta temporum, se uario uirtutum genere exercuerunt, propriam quærentes reuersionem in patriam, unde tandem descenderant, cœlum tamē haudquaquam potuerunt

runt ascendere. Ad quæ ipse occurrens dubia, partim aio esse eadem, partim autem à nostris uariare. Nam quæ Peripatetici celebrant, hæc habentur (ut arbitror) prudentia, iustitia, uirilitas, atq; continentia. Prudentiæ uerò germina (ut plerisq; uiris probatissimis classis Peripateticæ placuit) cultus Deorum, naturæ cognitio, rectaq; censentur consilia. Iustitiæ autem erga Deos pietas, legum in Repub. obseruatio, & inter priuatos probitas. Virilitatis uerò magnanimitas, generositas, ac mansuetudo. Continentiæ deinde moderatio, uenustas, ac liberalitas. Quas uerò debent pietatis cultores colere, sunt hæ, quæ subsequuntur (ut censeo) fides, spes, dilectio, charitas, iustitia, continentia, mansuetudo, probitas, patientia, prudentia, fortitudo, ac moderatio, qui fontes inexhausti sunt bonitatis inenarrabilis, & uirtutes, quæ à Diuina sapientia prodeunt: Cui primo illæ apparuerint, uel qui, ut illis placet, se in eis exercere decreuerit; deposita tamen malitia, ei propediem reuelantur, orbis terrarum fundamenta ualida, quæ Christus nimirum sunt, nemo enim fundamentum aliud, præter id, quod iactum est, ualet, uel audet ponere.

Tot enim uirtutes numero, uti fructus ſpiritus, ad Galatas quoq; præſcripſit Paulus, licet nomine ab hiſce in aliquo uariet. Dilectionis uerò mandata, quòd ſint à decem forma uaria, probat euidentia: nam cæteris poſitis, non & hæc neceſſariò inferuntur. plerique enim non dilectionis zelo, ſed pœnæ timore à delictis abſtinent, quod quidem affectus mutatio, non autem eſt liberatio: & proximum, legisq; latorem odio proſequuntur, ut eum qui illis prohibuit, ne arbitratu ſuo poſſent quandocunq; delinquere, lædendo, ut uelint, quemlibet: & præ timore tantummodo Dominum, uti indigna mancipia, ne uapulent, colunt, & obſeruant. Atqui Chriſti in ſe ſynceram dilectionem obtinent, animi uiribus, Deum, cunctis, ex proximum diligunt: ac etiam, ſi nullum tranſgreſſoribus extaret legis ſuppliciũ, lædere quenquam nollent, Deumq; non ut ſerui, ſed ut filii diligunt: propterea omnibus intentis neruis mandatis eius obediunt, ne quem enixè amant, in aliquo offendant. longè namq; natus eſt intenſus amor, abſolutaq; dilectio genus cuiuſq; timoris expellere. Cum igitur nullum inter ſe hæc reſpectum ſeruent uicarium, mi-

núsque necesſitatem aliquam inuicem obti-
neant, eadem eſſe nequeunt, quæ cum ſint
ultra legis tabulas, licet Moſes alterius in
Deuteronomio meminerit, haudquaquam
tamen priſcæ legis cultoribus erant cogni-
ta: iccirco, quia ex duodecim Scala exta-
bat gradibus, qui decem duntaxat aſcende-
re nouerat, cœlum proculdubio non potuit
capere, uſque quò nouus tandem legislator
nobis maximè optatus apparuit, eáque pate-
fecit, quæ Scalam ipſam perficiunt, & à qui-
bus cætera Scalæ ſtructura pendet; fidelem
ſe ducem illi offerens, qui per hanc planam
uiam deambulare decreuerit, delictorúmque
origines, nos diuellere docuit: præter pri-
ſcæ legis conſuetudinem, ut ſimus ſancti pe-
nès eum, & abſque macula bonum eſt e-
nim non occidere, ſed longè melius mihi
crede, neque iracundia concuti. bonum i-
tem periurium non committere, ſed longè
melius nimirum eſt nihil prorſus iurare: quo-
niam qui non iurat, is neque peierare peri-
clitatur. At ſi etiam hæc uatibus, & patriar-
chis (quatenus eiuſmodi ſunt) non fuiſſe con-
tendes incognita, alia tibi præſtò adeſt ra-
tio,

tio, portas, quas magnus noſter ſacerdos, ſuum pretioſiſſimum ſanguinem, pro noſtris delictis, ſemel pro ſemper patri offerens, aperuit, cum iampridem primus parens eas ſua inobedientia obſtruxiſſet, illis obſtitiſſe crediderim. Hæc ergo extant uirtutum duodecim genera, uel ſi mauis, totidem mandata, quæ Scalæ gradus uſque ad cœli cacumen perficiunt, quibus aſcenſus nobis, animiq; in cœlum ſuggeritur reditus.

Cur autem hanc Scalam ex duodecim gradibus, nec plus, minúsue conſtitui dixerimus; & hanc quidem non aliis, ſed uni Iacob oſtendere Deus uoluerit; reſpondemus ad primum tres poſſe afferri cauſas. Quarum prima eſt, quod duodenarius numerus inſitam quandam natura perfectionem obtinet: uarias enim ille ſectiones ordinatas ſuſcipit, utputa binarii per ſenarium, uerſáque uice, ſenarii per binarium, nec non ternarii per quaternarium, & quaternarii per ternarium, totidémq; modis per eaſdem partes commutatim diuiditur. Qui quidem ternarius, & quaternarius numerus, uniuerſum amplectuntur ſpecierum ordinem,

illumq; primo in parem, atque imparem ſpeciem diſtrahunt. Verum ternarius, qui imparem denotat, uti figura prima, quæ ſimpliciſsimum unum, aliorum præcipuam cauſam continet; ſimpliciſsima quoq;, in uariabilia, ac indeſinentia, rerum effingit entia. Pythagoreorum uerò celebrata quaternitas, unum ternario addidit, quæ naturæ ſunt opera, ſua ipſorum natura ſolidiora, terræq; denſitati proximiora; ac proinde cuique mutationi obnoxia, & in ſemper fieri eſſe ſuum obtinent, licet primi principii abſolutam operationem oſtẽdant: quia quancunq; numeri naturam in ſe quadratum cõtinet: haudquaquã enim (ut Timeus teſtatur) uniuerſum hoc abſolutiſsimum eſſe potuit, animantium genere deficiente. Secunda autem ratio eiuſmodi creditur. Notum enim eſt ſapientiæ ſectatoribus, tres eſſe partes, uel poteſtates animæ, quæ ratiocinatur, quæ iraſcitur, & quæ concupiſcit, iuxta quas uirtutes bene, beateq; uiuendi exercentur, quarum medio illæ moderantur, & in unionem rediguntur. Verum una tantum dominatur, quæ eſt ratio, uti mentis ſocia. alia uerò ſubiici duntaxat nata eſt, concupiſcibilis puta, tanquam
corpori

corpori propria. media uerò, quæ quidem est irascibilis, quia rationis expers est, & communis pecudibus, dominari à ratione debuit. At quia propior rationi est, quam sit uis cupiditatum, præesse uoluptati meruit. Tres itaque cum sint partes animæ, duæ, quæ dominantur, altera primò, ut ratio, altera uero secundariò, ut ira, & duæ, quæ obediunt, concupiscentia primò, ira uero secundariò; quæ præesse tantum nata est, unam duntaxat uirtutum obtinet, quæ ei respectum præposituræ perficit, & prudentia existimatur, per quam ratio sibi, & cæteris præscribit mensuras operum. Quæ uerò solum obtemperare nata est, & cupiditas appellatur, unam & ipsa uirtutum suscipit: quæ quidem est continentia, cuius sanè medio, ad rationem conuersa, sua desideria cohibet. Tertia autem, quæ ira est, & præesse, ac subesse dicitur, duas nempe uirtutum obtinet, fortitudinem, ut dominans, cuius quidem merito impetus cupiditatis sibi ipsi subiicit; ut obediens uerò, continentiam, quatenus & ipsa desiderat, & rationis censura corripitur. Quemadmodum enim absolutiones cuiusq; existentiæ inter se differunt, quia uariæ sunt; ita & respe-
ctus

ctus mutui. at si proprium rationis est, utrique dominari, occasionémque illis perhibere, ut ad illam, & in sui perfectionem conuertantur, principémq; uirtutum obtineant; continentia utique à ratione incipiet, & medio iræ in cupiditatem desinet, indéque efficiet consonantiam, quam διὰ πασῶν, Musici uocant, quæ ex tribus constat terminis, ratione, ira, & concupiscentia, quarum ira, cum sit media, si respectum consideraueris, quem erga rationem ea retinet; consonantiam, quæ διὰ πέντε dicitur pariet. Sin autem eum, qui concupiscentiam respicit; illam profectò, quæ διὰ τεσσάρων appellatur. Quam quidem Pythagorei συλλαβὴν, hoc est comprehensionem dicunt, ut ea, quæ non ita absoluta est consonantia, quemadmodum, quæ διὰ πέντε. Nam & ira, licet longè natura à ratione differat; magis tamen ei proxima est, quàm sit iræ cupiditas. innatum enim inest iræ desiderium, rationi coniungi, ac simul sese infestanti opponere cupiditati, eáque superata, unam uniformem uitam ex multis, & consonantiam armonicam efficere, quæ διὰ πασῶν, ut dudum diximus, uocitatur. cúmq; ostensum sit, pru-

dentiam uirtutem esse illius partis animæ, quæ principem locum obtinet; continentiam uerò eius, quæ subesse consueuit; ac rursus, continentiam, atque uirilitatem huius, quæ & subesse, & præesse nata est; reliquum est, ut iustitia sit omnibus communis: sed uni sanè, ut principi; alteri uerò, ut subditæ: tertiæ autem utroque modo. & hoc pacto quatuor uirtutum genera, tribus partibus animæ complicata, apparatum uirtutum duodenarium pariunt, quæ deinde duodecim gradus ascensus, & absolutionis animi adimplere ualeant. Iccircò & Ioannes hac profectò de causa, diuina reuelatione admonitus, per hunc duodenarium primò tribus, ac in se rursus reiteratum beatorum selegit numerum. Tertia uerò ratio ea est, cuncta animantium corpora ex elementorum commixtione consurgunt, ut constat, terræ scilicet, aquæ, aeris, & ignis. at quia cuiq; sectilium corporum, tria necessariò insunt, principium, medium, & extimum, hæc autem tria in quatuor multiplicata, duodenarium numerum perficiunt; hac profectò de causa, cœlum, aiunt Astronomi,

signa

ſigna obtinere duodecim : tria, quæ naturam ignis referunt, tria aeris, tria aquæ, & totidem terræ; quorum unum illius elementi principium, & abſolutam operationem denotat, alterum mediam, tertium uero extimam, ab Ariete exordio habito.

Hoc itaque duodenario numero graduum Scala perficitur, ut & corpus cœleſte ex totidem ſignis complectitur, tanquam ueris, uarieque diſpoſitis gradibus. Per quos gradus tutè magnus progrediens Abraam, cœli auctore duce ſibi propoſito; pater inde meritò decernitur duodecim Tribuum, & multarum parens declaratur gentium. Bellorophon uerò, & Dædaleus Icarus, alter Pegaſi equi alis fretus, alter uero humana fabrefactis induſtria, hic in profundo maris, ut in undis errorum immergitur; ille uerò præcipiti aligeri equi ictu infringitur, humanis poſſe uiribus cœlum ſuperare exiſtimans. Sed & potens uiribus Hercules, ubi duodecim in terris abſoluit certamina, omneſque affectus, & impetus equorum effrenatorum, qui humanæ uitæ, ſub iræ, & cōcupiſcentiæ nomine, ut illi currui ſeruiunt; cœlumque humeris uniuerſum ſuſtulit; exacta

inquam

inquam operatione illius cognita, animam ſuam, quam uocat coniugem, à dira demum ſeruitute, raptúq; immaniſsimi liberauit Centauri, ab equina, nempe gula, ac ferina uoluptate, quæ humana tecta ſpecie, rapit. ac opprimit incautos. Quam quidem uxorem, & ſororem intellectus Salomon uocitat; unúmque pro alio accepit Abraam, ſororem enim ille quoque propriam appellabat coniugem, quæ tamen uxor redempta, ſub inimici ſuggeſta fraude, peruerſis poſt modum cogitationibus, uenefico tanquam Herculem infecit ſanguine: quapropter ipſe poſtea coactus, igni ſeſe ſponte dedit, ſi ab hiſce mentem, & quamcunque terræ craſsitudinem, expiare uoluit. Iccircò cœlum (ut aiunt) ſibi comparauit, intérque Diuorum redactus ordinem, immortale nectar, quæ Dei eſt ſapientia, deguſtare, totúsq; expleri inſignem ob uirtutem meruit. Itidem Zoroaſter Armenii filius, poſtquam per duodecim dierum ſpatia, apud Platonis R. P. in igne iacuit; reuixit denuo. Huicque ſententiæ non diſſona elogia afferunt. τῷ πυρὶ γὰρ βροτὸς ἐμπελάσας, θεόθεν φάος ἕξει: hoc eſt, igni enim homo accedens proprius à

Deo lumen suscipiet. Vt enim amatoris pectus flagrans infestat cupiditas, amatæ rei allectum desiderio; pari pacto & animi, cœlum ascēdere cupiēti, ignis absumit quamcunq; labē, fecémq; materiæ, quæ planū mentis, ac sincerum spiritale uehiculum, curruíq; Heliæ persimile; dimensum, atq; sordidum harum societate effecit, sed usq; quò id absoluerit, torqueri nō desinit: donec se procul à summi boni, atq; inenarrabilis pulchritudinis, intelligibiliū fruitione detineri se uidet. Quod & diuinus Vates his uerbis admonet, inquiens: Meminerit Dominus cuiusq; tui sacrificii, & tuū holocaustum, dignetur pinguescere. Etenim non ut pecudibus, humano quoq; cōtingit animo: illa enim prius pinguescunt, deinde immolantur: hic uerò, primò mactatur uirtutis opere, uitæ asperitate, & interdum sanguine, ignéque, quem Dominus in mundo expiationis gratia posuit. quiq; natus est, cuiusq; malitiæ leuitatem absumere, undequaque adustus, ut holocaustum, & quacunq; labe deposita, ceu pasqualis agnus, cui ignis assando, mollem quidem materiam, ac terrenum absumit habitum, deinde Diuina pinguesit sapientia. Quoniam impurum puro

inhærere,

inhærere, uel illi propè fieri, factu impossibile censeo, nisi id ipsum se plenè prius expiauerit: ignis enim absumens, Deus quoq; dicitur, qui etiam Esaiæ labia à labe expiauit, sibiq; dignum præconem in terris eum effecit. Ex quibus latè (ni fallor) patere iam potest, tam nostros, quàm exteros, hanc uiam animi ascensus in cœlū omnes in duodecim gradus distraxisse.

Cur autem hanc Scalam Deus Iacob primò detexerit; breuiter dicam. Immensi cœli pater omnipotens, humanum genus culpa sua delapsum usque ad inferos, ad se reuocare paterna charitate cupiens, figuris primò ceu fabulis nutrices solent infantes, rudem naturam nostram admonere cœpit, ut imbecillam, & eam, quæ adhuc ueritatis, diuiniq; luminis synceritatem ferre haud posset. Iccirco per Noem, & Abraam, eorumq; propaginem, arcana inaccessibilia suæ bonitatis in figuris expressit. Sed cum iam satis illam perspicacē ob ætatem uideret; ut quæ à luti operibus, & Pharaonis tyrānide, ad Dei cultū se cōuertere cœperat, tunc per Mosem, non per Angelū, uerbis profunditate figurarū implicitis, altius promouere uoluit.

Completis demū annorum tēporibus, per fi-

lium operibus, quibus ante alius nemo, uerbisq; planis, ac præceptis facillimis, iter illi in cœlum reuertendi palàm ostendit. At in Noe, mundi nobis effinxit creationem intelligibilis. νοῦν enim, qui mentem dicit, ille significat, Deiq; uitam potestatem, ac spiritum, qui super aquas ferebatur, ait Moses. Tres uerò eius filii, trinum intelligibilium ordinum apparatum inferunt, quem in extremo libro exprimemus. Per quatuor deinde eorum coniuges, quas Moses innominatas præteriit; bonitatem tu ipsius Noe, uelim intelligas coniugem, quæ illi natos, natásue, & nurus genuit: iustitiam autem, ueritatem, ac sapientiam, filiorum coniuges. Arcam uerò, primam illam intelligibilem materiam censeo, quæ ideas omnes, ac innumeras ferè animantium comprehendit species. Sed aquas, quæ immersam giganteam propaginem continent, exemplar elementorum esse arbitror, quod affectus hominum, ac impetus irrationales retinet. Sed aquam speciatim nominare uoluit, tanquam magis notum generationis suppositum. Quod & Thales Milesius, & Homerus senserunt: quando Oceanum hic, patrem hominum, Deorumq;

fuisse asseuerat. Quæ quidem omnia Moses quoq; in primordio mundi generationis liquidò ostendit. Etenim non primò, ut Philon, sed in principiò, non sanè temporis, tempus enim uel cum mundo, uel post mundum genitum est; sed uel in momento, quia principium omne est indiuisibile; uel in æternitatis initio, in quo uerbum Dei (qui mundus est intelligibilis) & Ioannes fuisse asseuerat. Deum cœlum, & terram creasse Moses annuntiat: cœlum, non hoc herclè uisibile, ac corpore præditum, quod & firmamentum propter hoc inferius meritò nominauit; sed quod uniuersam latitudinem intelligibilium numinum genuit: omnéque in se inuisibile lumen continet: & ad cuius instar, hoc quod oculis cernimus, fabrefecitt. terram, non quæ infra uaria pullulauit germina, sed ἀόρατον καὶ ἀκατασκεύαστον: inuisibilem inquam, ac ornatu uacuam: ut uiris septuaginta, Origeni, & Philoni placuit, quæ porrò nomina primæ exemplar effingunt materiæ. Rursúsque ut id sensisse planius indicaret; hæc cum abyssi hiatu, magnáque diuisit intercapedine, qua æterna distant à temporariis. Ac tenebras interposuit, quæ profectò

profectò quid sint; Dauid alibi his uerbis expressit, inquiens. Et ascendit Dominus super Cherubim, & uolauit: uolauit super pennas uentorum, & posuit tenebras, latibulum eius. Neque tamen, quia Deus conspectum nostrum effugere uoluit; suisque in abditis latere penetralibus, postremam destituit generationis materiem. Spiritus enim eius, idest uita uiuentium omnium, manúsq; eam comprehendit benefica. Et sic quod supra cœlum, & terram dixerat; hic, ut notiorem, aquam, & spiritum appellauit. Quibus absolutis dixit, ut fieret lux, & non tenebræ. Etenim summum bonum, haud potest non bona producere. Quam quidem lucem, quia bonã sponte sua permansisse uiderat; eam à Luciferi diuisit tenebris, qui praua sua electione, malus fieri uoluit, factúmq; est uespere, finis, inquam, tunc tam præclaro operi impositus est. Et mane, idest lumen diei, non primi, sed uni apparuit: mundi nempe intelligibilis unio, ac esse omnis immune materiæ, nullique mutationi obnoxium. Ad oppositum senarii numeri, qui hunc mundum sensitiuum genuit. qui quidem senarius, licet

eſſet fertilis, & propter hoc coniugium appellaretur à Pythagoreis; uarias tamen ille in ſe, reiterationes ordinatas, & ſectiones naturales ſuſcipit: ut de duodenario ſupra probauimus, quod mundi mutabilitatem denotat. Cui quoque ſententiæ aſtipulatur Timæus, quando mundum intelligibilem, eum, qui ſemper eſt, ſuiq; ortum naturalem non nouit; hunc uero ſenſitiuum, eum, qui ſemper fit; nunquam autem eſt, ac ſempiterni appellat imaginem. Atqui, quemadmodum homo, qui huius mundi pars eſt; & ad imaginis Dei ſimilitudinem effectus eſt; idem de toto opinari neceſſe eſt. Ego uero mundum hunc intelligibilem nil aliud eſſe dixerim, quàm mentem architectricem, patriſq; rationem altisſimi, quæ modo ſublimiori continet uniuerſa, quæ iam diſpoſuit: ut & Homerus præter ſacros, hoc carmine cecinit. πάντα γὰρ ἐν ζηνὸς μεγάλου τάδε δώματι κεῖται. hoc eſt, iacent enim in ædibus, magni Iouis hæc cuncta. & dum hæc intelligeret, ſine aliquo medio, opus quidem apparuit illicò: idem enim intellectio, & opus rei intellectæ, in diuinis habetur. Et hac ratione ritè commentum cauillum diſſoluitur, quod

Simplicius perperã aduersus Mosem construxit, octauum Aristotelis librum enarrans, in quibus ille de naturæ principiis disserit: inferens, si prima die lux facta est, ubi nam illa ad quartam usq; latuit, in qua facta sunt luminaria? uel quomodo ea sine certo luminarium corpore apparere potuit? Non animaduertens argutus alioqui Philosophus, de exemplare, mundiq; imagine, & luce omni experte materia, & corpore, Mosem primò egisse: deinde uero de exemplato, imaginisq; imagine. quæ quidem lux & certo luminarium corpore indiget, & terga Dei, non conspectum denotat: & quæ eodem illo munere, in sensibilibus fungitur, quo in intelligibilibus, præsides uniuersi. Quod illi quoq; Moses Atticus, suo in Timæo denotat: si nostro (quia barbarus) dedignatur credere, quem tamen ferè in omnibus suus quidem Plato sequutus est.

In secunda autem ætatis progenie, in qua Abraam patrem multarum gentium, & eius filios, ac nepotes protulit; utriusq; mundi esse, atq; unionem, nobis detegere uoluit: iccirco per Ismaelem, mundum sensitiuum intelligit: quem Abraam è serua Aegyptia, tetra

nimirum

nimirum materia genuit, ante Iſaac, Chriſtum ſcilicet Seruatorem, annis quatuordecim, ut puta totidem generationum ſpatio, quo diſtat Abraam à Dauide, & Salomone, à quo templum Dei erectum fuerat, uel quia Chriſtus ſeptuageſimusſeptimus ab Adam protoplaſto enumeratur, qui profectò numerus, ut quartusdecimus, ex gemino ſeptenario oritur: ſed hic magis abſolutus, quia denarii ſeptenarium, & ipſummet ſimplicem ſeptenarium continet. Propterea Iſmael hæreditatem paternam, ut Iſaac, adire non permittitur: oſſa enim terrena, morticinaq; caro, ac pelliceæ tunicæ, extra cœli uerſantur rempublicam. Qui porrò Iſaac, ideſt cœleſtis patris ſempiternus filius, ac ipſamet intelligibilis uniuerſitas, à Sara uniuerſi domina genitus eſt. Qui quidem, ſi æuiternam generationē conſideras, quia ſine matre genitus eſt; Saram πηγὴν θεότητος, Diuinitatis inquam fontem intellige. Sin autem ortum inſpicere temporarium uolueris, quia tanquam agnus ad ſacrificium à patre Abraam ducitur; & Chriſtum hunc ſignificare dixeris, Saram, loco Mariæ accipies, quæ ſedens ad patris dexteram, domina, ac regina

uniuerſi appellari meruit, Eundémque uti pacis, uitæ, & libertatis auctorem, gaudium, ac lætitiam omnium. Quamuis me non lateat Diuini translatio Pauli, qui hos fratres, in duplici legis ueteris, ac recentis natura conſiderat. Sed non mediocris animaduerſionis eſt, quod Iſaac, medio ſerui qui patris nomine uocabatur, uxorem ducit Rebecam, de aliena regione, ſed de cognatione propria, ut concordem Timæi, cum ſcriptura ſententiam, ubi mundi ipſius originem tractat, ſtudioſus percipere ualeat. Pro uxore itaq; animam, uitamq; uniuerſi intellige, quæ quidem quia Regi magno, (primò inquam intellectui) oportebat coniungi, Regia eſſe debuit, & de eadem cognatione, qua maritus exiſteret: dignitate pari, ac eſſentia ſcilicet. Vt in Philebo quoq; teſtatur Socrates. Quæ cum cœlum uniuerſum cōplexa ſit, & ad ima uſq; progreſſa, regionem mutaſſe dicitur. quod & Timæus proſpiciens, mentem quidem primò in anima, animam uerò in corpore poſuit: non quòd in poſtremis præcipua contineri exiſtimet, ſed quia progreſſum ille, & cauſæ rationem conſiderat. Iccircò per ſeruum, ideſt Angelum, uel unum ex ſeptem

oculis,

oculis, quos lapis Zorobabel gesserat: ex iis inquam spiritibus, qui, ut Ioannes ait, Deo continuè assistunt: ipsa sane` Rebeca filio Isaac coniungitur: rationi inquam patris primogenitæ: & sic unus mundus intelligibilis, ac sensitiuus efficitur: unione nempe indissolubili. Mentem enim in animam (ait Timæus) tanquam in uehiculum, pater induxit, ut naturam ostenderet uniuersi. Quæ quidem Rebeca, duo ex eodem marito, uno fœtu filios peperit: mentes, inquam, quas, quia inframundanæ sunt, animas dicimus, Esau scilicet, qui Luciferum denotat, ordine priorem, & essentia hominem; ob quod etiam & prior egressus est. Sed quia ex se malus fieri uoluit, hirsutus postea, uenationiq; deditus apparuit: callidus inquam, & qui præda, & sanguine gaudebat. Cuius quidem futurum finem Deus prospiciens, antequam nasceretur; eum odio habuit. Et Iacob, qui humanum effingit animum, & supplantator, hoc est, actioni addictus, prius appellatus est: ut is, qui aduersus fratrem certamen uirtutis certauerat. Deinde uerò Israel, mens inquam, Deum inspiciens,

contemplatiuus ſcilicet. Qui porrò Iſrael, matris ope, ideſt animi prudentia, epulas patri offerens, bona, immaculataq; opera intellige; benedictionem meruit. At Eſau regnare quidem & ipſe, non tamen in terra promisſionis, permittitur: ſed in hoc mundo, cuius & princeps dicitur. Iacob uerò, non ut patri Iſaac, uxor domi ducitur: ſed ipſe diſcedit à cœleſti patria, quæ terra promisſionis dicitur, & uſque ad ima materiæ labitur: & Meſopotamiam appulit, quæ uitam cœleſtem à terreſtri ſegregat. Seruitq; Laban per ſeptennium, gratia manſuetæ Rachel potiundæ, hoc eſt, per totam primam ætatis ſuæ ebdomadam, quæ ab affectibus remota, candida, & felix dicitur. Decepto uerò Iacob (ut animo ſæpe contingit) loco Rachelis, uitæ contemplatiuæ ſcilicet; Lia, ideſt actiua uita, ac laborioſa, ſupponitur. & ſic ueluti alter Ixion, nubem loco Iunonis amplectitur. Verum dolo detecto, ſuaſu soceri ſeruit & ſecundam annorum ebdomadam, ut ſibi Rachel dilectam, uxorem ducere liceat: actio enim, quoad nos, ordine contemplationem præcedit. Sed utraq; coniux infructuoſa fuit: antequam uirtus radicem defigeret, atq;
habitum

habitum plenè acquireret. Quapropter Zelphæ, Liæ seruæ, uoluptati uidelicet, quæ omnibus est contemptui, falsumq; actionis nomen sustinet; & Balæ, Rachel ancillæ, idest falsæ cognitioni, & turbatis dogmatibus, quæ contemplationi uerè opposita sunt; interea Iacob adiungitur. Reuersus tamen ad coniuges, diuino adiutus auxilio, duodenariũ filiorum expleuit numerum, à quibus, ut Scalæ gradus, uirtutes parauerunt reditum, & duodecim Tribus habuerunt originem. Et cum his crescit seruorũ, & pecudum numerus, cuncta bona scilicet temporaria, quæ homini ex uirtute, & fide plerunque eueniunt. Quamobrem reuersionem iussu Dei Iacob in terram promissionis, clàm moliri incipit, quemadmodum & Vlysses furtim Circem, & Didonem Aeneas ocultè effugerũt. Mundum enim latere decet, dum uiuit, eum qui Christum profiteatur, idq; obseruando legem, non autem ostentando efficere: sed dum est moriturus, magis: ut Dæmonum uehementes impetus, mundiq; oblectamenta, quæ hic eum detinere tentant, euitare ualeat. Consilióque detecto mulieribus, caute rapit Rachel, strenua puta patriarchæ
anima,

anima, uel si mauis contemplatiua uita, patris Mamonæ idola, opes, inquam, illius, electioráque domus, non ut ea seruaret; sed ut patrem hisce priuaret, simulachráque destrueret. Vt & Iudæorum cœtus, in discessu Aegyptiorum abstulit; lectam auri, & argenti mutuatam suppellectilem. & iratum quæsitorem persequentem, hæc eadem Rachel, fallit prudentius.

Cui porrò Iacob, incipienti terram promissionis, cum familia, & opibus ingredi, cum bonis inquam, quæ ritè uiuens sibi acquisiuerat; frater Esau, cum sociorum apparatu maximo, occurrit obuius. Vt in morte quoque nos solet Dæmon inuadere, quando dolores mortis circundant nos, & torrentes iniquitatis conturbant, mortisq; præoccupant laquei. Non ut amicè fratrem amplecteretur, qui sibi erat odio; sed ut illum ad se traheret: ad quod solum Dæmon tendit asiduè: priuatúmq; terra promissa patribus, eum sibi seruire cogeret. Verum prouidus Israel maleuolo fratre aduentante, ex filiis, ac familia tota construxit aciem. ex uirtutibus puta, & operibus, quas ab utraque uita sibi comparauerat. fortisq; animo, uerbis

mo, uerbis uerò humilis, illi se opposuit: pecudum solo munere, hoc est, carnis abiectis operibus illi dono traditis. spretóque comitatu eius, sub honesta causa; Esau confusus, in regionem suam, cum suis reuertitur: Israel uerò, Deo fauente, periculo ereptus lætus terram promissionis ingreditur. At quia Iacob humanum animum, ut patet, afferebat; propterea eidem, qui de cœlo usque ad ima debebat descendere, annectiq; materiæ, & ab affectuum turbinibus concuti, uia quoque eò, unde descenderat, reuertendi monstrari necesse fuit: ne ignarus ille itineris, associatus materia, huc, illuc aberrans, in laqueos uafri hostis plerunque incideret. Iccircò Deus Iacob duntaxat, non autem aliis, è patris decedenti laribus, hanc Scalam in cœlum reuertendi ostendit.

Verum enimuerò, qui hoc iter facere intendit, non temerè, nec incautè, per hæc sibi conuenit ingredi spatia, quæ inter unum gradum, inspiciuntur, & alium, cum sint undequaq; potentis aduersarii repleta insidiis, & cunctis in partibus ualidissimis laqueis munita. Sed indutus prius si potest, omniū uirtutū genera, quæ

uiri sancti corpus ædificant, tutoq; possunt eũ ab ignitis aduersariis iaculis defendere, qui sũt perciti animæ affectus, obsistentes uirtutibus, & assumpto bicipite uerbi Dei gladio, quod ualet animum à spiritu seiungere, hoc est à sensu mentem, atq; sensibilibus, cunctosq; aduersarii turbare, & incidere laqueos, quos quidem malas Dæmonum cogitationes arbitrator, iter ipsum capiat, accinctus fortitudine, quæ legis obseruatio est. Memor semper, quid sibi de hoc animaduerterit Salomon, inquiens. Fili accedens ad seruitutem Domini, sta in timore, & iustitia: tuumq; ad tentationem animum præpara: & disce in dolore sustinere, & in humilitate habere patientiam: quoniam igne argentum probatur, & aurum. Quod cum longe Dauid mentis acie prospexisset, in his Psalmis Ascensuum, instruere incipit animum, uario bene dispositum armaturæ genere, quo in hac certaminis occasione utens, uictor tandem possit euadere, suiq; capitis uerticem, quem caput aurigæ, & florem mentis alii nominant; gratiarum corona, secundum Salomonem, coronare ualeat: quæ Dei æterni æterna est sapientia. Per hanc enim pugnã, quam homo

in mundo

in mundo præliatur, ſupremæ acquiritur poſſeſsio gloriæ: & ſic ex Dei munificentia, propriæq; uirtutis conatu, tropheum locupletem ex opimis ſpoliis erigit: ſperatamq; acquirit cœleſtem excellentiam. Sed quia ſpem experientia gignere conſueuit, experientia uerò à patientia oritur, hæc autem ab afflictione cauſatur, afflictio deinde è continentia, & uexationibus conſurgit, quarum quidem timor Dei, fide minime dubia, aut peruerſa aſſociatus, præcipua cenſetur cauſa; fides demũ prouenit, aſcenſu eorum, quæ percipi, ſenſuq; uſurpari nequeunt: unde uera beatitas, & quæq; animi fœlicitas proficiſcitur. Propterea Diuinus Vates, cœleſti afflatus numine, ſuaq; uirtute comite, in uexationibus, quæ pium animum, dum in hoc immoratur ſæculo, uti umbra corpus, aſsiduè comitantur, eumq;, ſtrenuè muniunt, ut athletarum corpora paleſtra; ſpe firma, minimeq; dubia, ad Deum confugiendum admonet: dum ait. Ad Dominum, cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me. Indéque Chriſtianos homines, initium uirtutis aſſumere uoluit.

Quia tamen animus noſter, complicatus

 corpori,

corpori, tanquam tetra obumbratus caligine, expleuisse se ignorantia, quæ deinde mater malitiæ effecta est, sensuúmque tumultu, & iræ impetu in uarios casus incidit: amissa scientia, natura sibi debita, & imperturbati status possessione ferè in omnibus; propterea Dauid in his primis Psalmis, illato uulneri prouidet, præcipuéque linguam, & labia, gustus instrumentum pergit corripere: linguam, quæ doli cuiusq; & omnium malorum est causa: labia, cum nil ab acutis iaculis aduersarii, & carbonibus, qui prauos absumunt habitus cum eos gestante differant. In secundo uerò uisum à caducis, & corruptioni obnoxiis ad cœlestia, & sublimiora tendit extollere, quæ si obseruauerint ductorem suorũ pedum sine offendiculo, interdiu, & noctu, fidelem pollicetur Dominum, & hunc eundem sui brachii protectorem acerrimum: ita ut ne Dæmones animo nocere possint, néue illorum corpora cœlestia corpora alterascere. In tertio autem expurgat repletam sordibus aurem, eamq; illa audire erigit, quæ non licet homini fari. Totumq; explet gaudio animum, ob ea, quæ sibi annuntiata sunt: & quæ nuper audiuit: quòd

appropin-

appropinquant domum Domini. In cæteris deinde usque ad duodecimum, animum tanquam à somno expergefactum, à sensuum, & affectuum perturbatione liberatum, & qui domum quietis, felicitatis, ac omnis tranquillitatis fœcundam, nec non bonitatem diuinam, & cœlestium amplitudinem, incipit, iam cernere; hortatur ascendere: sese ducem offerens, atque bona ea ostendens, quæ ab eiusmodi ascensu (ni desistat) ille sibi acquisiturus sit.

At quia sæpe dictum est, quòd qui humiles corde sunt, hi sibi hæreditario nomine cœlum uendicant, cum hæc sit terra patribus promissa, & Publicanus, hoc solo medio, hanc sibi acquisiuit; propterea in duodecimo Psalmo ascensuum, uti finem ascensus, & absolutionis humanarum actionum, metam ultimam, postremam etiam uirtutum, & antiquiorem, quæ est mansuetudo, ei inseruit. Cuius quidem medio immunitatē pasionum adeptum se esse asseuerat, uti agnus lactens, & Euangelii paruulus, cuius quidem Angelus, os Dei continuus, hoc est, contemplationem illius inspicit.

In tertiodecimo uerò Psalmo, quoniam hac immunitate affectuum comparata, dignum sese Vates Dei domus, & antiquæ mansionis, statúsque imperturbati possessionem adipisci nouit; ait, iurasse, quòd nunquam se quieti tradidit, quoad proprium animum à quacunque labe plenè expiauerit, eumq; locum Deo consentaneum, & dignam habitationem effecerit, haudquaquam enim ille inter iniquitates habitat. In quartodecimo deinde, concordem fratrum Christi habitationem, qui cœli sunt incolæ, laudat. Christus enim Dei habitatio est: Christi uero potestates intelligibiles, & hominũ qui bonitate proxime ad illos accedunt. Vnguentúmque pretiosissimum extollit laudibus, quæ Dei creditur sapientia. quo quidem ille unguento Aaron, & eorum, qui Aaron uirtutem emulantur, incessabili tempore caput perungit. In postremo autẽ breuibus laudare Dominũ admonet, qui uitam actioni, & qui contẽplationi deditam, in hoc sequuti sunt sæculo. cum illi quidem in aula, hi uerò in domo morentur Domini: in qua actiuus acquisita affectuum immunitate gaudet, contemplatiuus uerò summi sibi & delectabilis boni contemplatione

platione elargita lætatur : à qua nempe fruitione nulla res eos, uel cogitatio, distrahere unquam potest. Cunctósque simul denuò hortatur, manus in cœlum tendere, & benedicere Domino, ut hi, qui sacræ noctis mysteria uidere digni habiti sunt, & abdita illis detecta sunt penetralia; permissúmque est, eam subire noctis caliginem, ubi degit excelsior omnibus; quæque caligo eos ab hisce primæuæ noctis incommodis, & ignorantia eripuit : & licet in tenebris uersati sint, deprehendi tamen non permisit. Lux enim uera lucere in illis ualuit, & ab hisce capi non potuit. Nec quicquam Aegypti, uel Babylonis, seruitus, corporis inquam, & mundi tyrannis, in aliquo obesse ualuit, quominus in patriã reuerteretur : quæ est Sion sacra, mons excubiarum editissimus, quo usque pater omnipotens dignatur tantum à sublimitate sua descendere : Vbi mentem nostram à morticina humilitate elatam si inuenerit, expiatáque posthabitis ueteribus sensibus, & proterua impetus (ut Moses olim) & affectuum multitudine ; eam læto animo intra nubem excipit : ibique fouet, & perficit : licet non nisi locum, in quo constiterat, illi ostenderit,

ostenderit. Quamobrem latè, ut censeo hactenus patuit; priscos enarratores ferè idem quod nos, de hac Dauidis intentione, sensisse, cum nil aliud penès sacros habeatur captiuitas, quàm animi nostri non uoluntaria transitio de uirtute, & scientia, ad ignorantiam, & uitia, illiusq; opposita motio, à seruitute liberatio.

Sed non ab re fore existimo, si Homerum quoque, & Platonis Socratem huic summæ doctrinæ demonstremus æmulos, ut omnibus tandem pateat, bonitatem inenarrrabilem, hosce, qui uersantur in tenebris, tanquam columnam lucidam ubiq; comitari, extráque delictorum deserta, quæ sunt habitationes Dæmonum, tendit perducere: quia uult omnem hominem saluum fieri, & ad agnitionem ueritatis accedere (mortales enim omnes genus illius sumus) ac etiam, ut omnis facessat querela, & excusatio. qui uero lucis sunt filii, satis esse duxit, etiam si in hoc uitæ itinere illis se tanquam nitidam nubem offerat, cum satis illi suæ uirtutis lumine sint illustrati, uel ut flagrante amoris desiderio, quem affectant, ut non exactè inuentum, toto conatu enitantur quæ=

tur quærere. Homerus itaq; poſtquam Vlyſſem de diutino, ac periculoſo bello Troiano, ſoſpitem accepit, cum is in eo duo luſtra, inter ſpem, & metum, inter iram, & concupiſcentias conſumpſiſſet; per tot alia tempora, eum errare huc atque illuc uidit, & uſque ad inferos deſcendere, amiſſo dominatu, quod natura principi intellectui dono dedit: præualente impetuoſa, & proterua affectuũ multitudine. In ſe tamẽ reuerſus Circem ipſam, Cyclopes, & Sirenas effugit, gulam inquam, & oblectamenta huius ſæculi. Scyllamq́ deinde, & Carybdim latrantes euitauit; hoc eſt, ambitiones, & earum ſtrepitus, naue confracta, omnibusq́ amiſsis ſociis, corpore ſcilicet, & ſenſibus corporis, ipſe ſolus Corcyræ à Leucothea, Regis filia, indumento ſacro è maris ſæuientis undis, & ſtrepitu recuperatur, hoc eſt à Philoſophia, illiusq́ ſanctiſsimis præceptis. indéque ab Alcinoo Rege, cuius ſub auſpiciis hic ſtrenue militauit, dignaq́ uirtutis facinora geſſit; eius uirtute cognita; paruo quidẽ nauigio, quod eſt mentis planum uehiculum, nouisq́ ſociis, numinibus puta, qui reuerſionem miniſtrant animi; in Ithacam, propriam, priorem,

& per

& peroptabilem patriam ultimò reuertitur. ut latius quoque diximus in noſtris enarrationibus ſupra naturalem Magni Syriani Philoſophiam, quæ nondum eſt edita: licet errores bello, ac crebris præliis Moſes præpoſuerit.

Socrates uerò, ubi animum à tenebris materiæ, & generationis, uti obſtetrix peritisſima, in lucem deduxit; eumq́ uerum à falſo diſcernere docuit, legemq́ uirtutum, & morum, bene, beatéque uiuendi ſibi perſuaſit; Muſica, lyráue, Pythia, uel Orphea, partes confuſas ipſius, ac incompoſitas, uarióque tumultu generationis turbatas, in unionem, harmoniam, ac conſonantiam redigit: deinde ſacris diuinæ Philoſophiæ præceptis initiatum, & ordine, omnem illius intelligibilem poteſtatem excitat, iuxtáque eam ſolam uiuere efficit. Ita ut eiecta multiformi ſua ipſius poteſtate, ad ſibi naturæ inſitum unum uitæ centrum, & unionem, conuertatur, ſéque deinde agnoſcat: Indéque amore flagrantisſimo ſummi boni elicitum, ad apparatum ſplendidisſimum latitudinis intelligibilium, per aſcenſus (ut in conuiuio) euehit, & poſtremò, ad inenarrabilem, & abditam intellectionem unius hortatur, quan-

tum

tum mortalibus permittitur. Vnde illi peroptata felicitas effluit, & quæq; fruitio oritur. in quo quidem progressu id animaduerti præ cæteris, quòd quanto magis illi diuina splendescit excellentia, uerba ei deficiunt: cumq; ad unum ipsum mente peruenit; contiuuò silet: uerbis carere se inquiens, decentibus, ac congruis, ad unum ipsum meritis explicandum, uel extollendum laudibus. Modo accepto à nostro diuino Dauide: nam & ille, cũctis prius ornatus uirtutibus, animum imperturbatum ab impetu affectuum seruauit, ac in unionem ipsum redegit: & iam quartumdecimum gradum ascendere cœpit, qui secundus cœlestium existimatur: fratrumq; multorum primogenitum, in his mansionibus, cum illis habitare uidit, ubi domum Domini subire cœpit, uerba nempe corripuit. Vltra uerò procedens, aulamq; Regis ingrediens, & caliginem ipsam, quæ mentem nostram superat; adhuc ut Regi conuenit, abbreuiauit nomina. qui si & Regium cubile ausus esset inire (quod frustra tentauit Socrates) coramq; eo penetrasset; credo uocem, mehercule, & uerba amisisset in omnibus, mẽtisq; oculus penitus obstupuisset, eiusmodi

modi excellentiæ ſplendorem ferre haudquaquam ualens.

Tempus tamen errorum, & perturbationum animi, dum is in hoc immoratur ſæculo, geminas in ſectiones æquales denarii Homerus diſtraxit: denariúmque numerum, qui ex quadrato oritur, rurſus in quadratum deduxit. quinario undequaque pari intercluſo latere, ſolam ætatem (ut reor) uirilem, quæ à uigeſimo incipit, & uſque ad quadrageſimum annum tendit, accipiens. in quo quidem ſpatio humanus animus magis ſolet ab affectibus concuti. Parum enim infans, uel adoleſcens, ambitione, ira, uel concupiſcentia tangitur: hæc enim à calore nimio, tanquam à frigore ſopiuntur. ambitio uerò nullum plane in eo locum obtinet. Moſes uerò per quadragenarium numerum, peregrinationis animi, comprehendit ambitum, ut ſit abſolutus in omnibus: quadratum enim ab initio, tam in conſtituendo primum denarium, quàm in quadratura quadrati ſeruauit. etenim latus illius, uno conſtat denario, & per tot ille tempore, Iſraelem per deſerta deerraſſe aſſeuerat.

ſeuerat. totam opinor amplectendo ætatem hominis, quæ iræ, & concupiſcentiæ infeſtatur tyrannide. Status namq;, ut plurimum, hoc in tempore conſueuit fieri, indeq; declinatio feruoris naturæ incipit. Quam profectò figuram, Chriſtus Seruator noſter, & eiuſce figuræ auctor, in tot dierum ſpatia, nobis latius expreſsit: celeritatem infeſtationum, & uitæ breuitatem (opinor) per dierum indicando numerum: ut nos alacriocres in pugnando efficeret, conſiderata magnitudine ſempiterni præmii, parati propter pugnam leuem, tumultuariam, & ferè momentaneam, aduerſus carnem, mundum, & Diabolum, reſiſtentiam, præmii comparatione habita. Quoniam poſtquàm ſe in undis Iordanis dulcis Ieſus abluit; non ſe, ſed humanam ut expiaret malitiam, & aquam huiuſmodi medio purificaret, haud quaquàm enim ille expiatione indiget, qui mundi uniuerſa tollit errata, ac uitia, per quadraginta dies in deſerto morando, ſalutem, ac libertatem affectans hominum; gulam ieiunio, ambitionem, & auaritiam (quæ ortum omnis præſtant malitiæ) uerbo Dei, cum auctore ſuo profudit in omnibus.

In hoc eodem dierum curriculo, Helias expiatus ieiunio, humanam humilitatem fulgentem in cœlum euexit. & Moſes præuia uirtute ieiunii, de terra ſublatus in ſummum montis cacumen, ſublimitatem diuinam uidere permittitur: cuius ſanè præſentiam contremiſcunt angeli, legisq; tabulas accipere dignus habitus eſt. Sed & Platonis Socrates de R. P. aſſumpta ætate, quæ ante annum uigeſimum, & quæ poſt quadrageſimum, pulchrè per maiorem, & minorem id idem protulit, ut cuiq; pro tempore inferat, condigna operibus ſupplicia, uel præmia. Vitam hominis itaque centum ille annorum deſcripſit ſpatio, qui quidem quadratus eſt numerus, uniuerſumq; humanæ uitæ curſum amplectitur, ut denarius quoq; cunctas numeri ſpecies. hic in ſe reiteratus denarius, centenarium prodit: & rurſus pari multiplicitate affectus centenarius, millenarium efficit. Indeq; κύμβος, figura quadrata, cubitalis, terræq; propior, oritur, quæ uerſationem humani animi in terris effingit. At cum ibidem, nouem uaria uitæ genera ipſe celebret; quinq; quæ dominante ratione humanus animus ſequitur, ut puta, ſacerdotis philoſophi, regis, ciuis, artificis,

ficis, quatuor autem cætera horum subobscura simulacra, & æmulationes esse uoluit. postremam autem, uitam tranquillitatis, & felicitatis appellauit. Idcircò minorem uersationem animi in terris, trium millium annorum spatio præfixit, maiorem uero, decem millium: non quòd per tot annos animus in peregrinatione uersetur. signa enim hæc absolutionis mystica sunt, & gradus purgationis, non autem uitæ spatia.

Quoniam quatuor cum sint animarum genera, inuicem gradu absolutionis uaria; primum quidem Diuinum est: quod ubiq; dignitatem dominandi sibi meritò vendicat, ac felicissimũ, absolutissimum, & maxime est ex omni parte tranquillum. Secundum uerò, quod illi bonitate habetur proximum, eique assiduè adhæret (Angelicum puta) cuius sanè medio, quæ à summo bono recedunt, ad illud interdum reuertuntur. Tertium autem Heroum, quod in generatione descendit, uitamq; licet Diuina humiliorem suscepit, & immixtam corpore, eam tamen, ut potuit, à malitia insontem, ac immunem tetræ maculæ, affectibusq; superiorem seruauit. Vltimum genus illud profectò est,

quod

quod ſponte ſua, in errorum incidit pelagus. proinde ad ima uſque Tartari, ut quondam Vlyſſes deſcendit, diuerſamq́ morum, ac uitæ normam, temporibus uariis, ſibi geſtiens eligit. ac in deformes animantium ſpecies, idem eſſentia manens, conuertitur, Dæmonum, hominum, irrationalium, ſtirpium, à prouidentia tamen Dei, ac bonitate directum nonnunquam in ſe prius expiatum reuertitur: & in cœlum de terra demum recurrit, à tenebrisq́, & fœditate materiæ, in mentis lucem, & abſolutionem conuertitur. certisq́ temporibus, ac ſtatutis purgationi, & periodum terminis, propriam felicitatem nanciſcitur. & hoc genus animorum eſt, quod, ut ait Plato, decem millium annorum expiatione indiget. trium millium uerò, perinde ac purum id, quod dudum præſens præceſsit. Ternarius enim numerus, in minori ſpecierum ordine, eſt abſolutisſimus. quia cuiuſque figuræ imparis largitur initium, principiumq́ medium, & finem obtinet. Denarius etiam alia conſideratione cenſetur perfectisſimus, quia omnem in ſe, numeri complectitur ſpeciem, per quos circuitus inſons diſcurrens animus,

tandem

tandem ad tranquillam intelligibilium uitam peruenit. Vnde illi demum peroptata contingit felicitas. Id uerò, ut sæpe diximus, non nisi ueri agnitione, & uirtutum medio euenire, omnes simul assentiunt.

Hoc autem in itinere peregrinationis, & reditus, quo pacto agendum sit; Diuinus uates singillatim admonet. Nam in primo Psalmo Ascensuum, ferre nos patienter aduersa hortatur. In secundo; spem firmam in Domino obtinere, unde sibi tutela indubia prouenit. In tertio, promissis de futuro sæculo, fidem habere, miniméque ambigere. In quarto, probitatem suam ostendere, fatendo se humilem seruum Domini existere. In quinto, moderationem declarare, quicquid boni sibi euenerit; à Domino prouenisse. In sexto, fortitudinem possidere demonstrat, quæ sibi spondeat non modo non interimi aduersario, sed neque commoueri dubitet. In septimo, dilectionem habere, quia, quæ sibi bona euenerunt; proximis quoque suis, & fratribus contingere peroptet. In octauo, effectum in prudentia, à causa absoluta scire dignoscere, inanemq́ nostrum

ſtrum fateri conatum, eius ope, & auxilio deſtitutum. In Nono, mandata ſeruare pio homini præ cæteris conuenire: nam is proculdubio continens, Deumq; diligere exiſtimatur. In Decimo, iuſtitiam præcipue poſsidere, quia malos affligi iure peroptat: ii enim abſq; ulla legitima cauſa, continua bonis afferunt detrimenta. In Vndecimo, charitatem demum obtinere, patrem æmulando altisſimum, qui demeritorum noſtrorum oblitus, nos è manu inimici eripuit, uti pater pientisſimus filios. In Duodecimo, ad manſuetudinem adhortatur: quia ab affectibus ea hominem liberat, & ut agnum lactentem efficit.

Verum quia Aſcenſum, Dauid incipiens, Dei quidem meminerat, ut pium uatem decet; & illius exordium à precibus cœperat; mihi faciendum duxi, ut hic, de natura precationis, quæ ab hominibus ad Deum effunditur, necnon de operatione illius, & cauſa diſſererem: ut ſegniores ad hoc utilisſimum precandi munus excitentur, dediti uerò confirmentur in opere: innumeris bonis cognitis, quæ inde ſolent in hominem proficiſci. Cuncta profectò quæ cœlum complectitur, filii, fructus, Deiq;

ſempiterni

ſempiterni ſunt opera: ab eoq; immediate prodeunt, atque in eum denuò reuertuntur, & in ipſo perpetuò permanent, etiam ſi ea, quæ procul ab eo ſunt, primamq; illam materiam dixeris. A nullo enim ſuorum operum ille ſeiungitur, ſed æque cunctis cum immineat, ſuam omnibus indiſcriminatim bonitatem infundit. Omnia uerò, ut cuiuſq; perfectio ferre poteſt, eam recipiunt: & quod deniq; in eo non eſt, nihil eſſe, & nullibi creditur. Modo enim quodam inenarrabili, cuncta à Deo egreſſa ſunt, & deinde non egreſſa: euulſa namque illa nuſquam potuiſſent exiſtere. Quapropter dicam rectius, entia quidem cuncta, à ſe ipſis egreſſa ſunt, ſed in Deo radicata, ac ſtabilita perpetuò permanent.

Quoniam igitur à Deo omnia profluxere, ad illum etiam uniuerſa, à nexu materiæ ſeparata, & non ſeiuncta, circuli inſtar, & iuxta abſolutionem propriæ eſſentiæ, opus erat reſtitui: imaq; flagrantis amoris indiſſolubili uinculo, quo ſummus pater uniuerſa deuinxit, ſumma ſanè appeterent: ſumma uerò hoc obſtricta medio, amicè amplectendo, fouerent, ac protegerent infima: ſuoq; exemplo ea con-

 uertendo,

uertendo, Aſcenſum illis in cœlum (ut poſſunt) aſsiduè miniſtrarent, & primæ ſuo medio adiungerent cauſæ.

Vt id autem homo aptè ualeret conſequi, duplex illi facultas à ſuperis elargita eſt: mens inquam, & unum, quod menti quidem præſidet: ut per mentem conuertatur, per unum uerò, quod in ea diuinum eſt, penès Deum ſemper maneat. Ad hanc deinde perutilem reuerſionem abſoluendam, ualidiſsimum medium, præcipuumq́ cenſetur precatio. Etenim per ſigna aſſueta, ſymbola, ac nomiua, quæ pater excelſus animo noſtro, ac orationi diſſeminauit; quæq́ nobis uim rerum, & ueritatem offerunt, æterni Dei bonitatem in ſe animus attrahit: & hoc itidem medio patri precantem unit altisſimo: & mouet bonam uoluntatem illius, qui uerè bona abſolutè posſidet, ut ipſa nobis fuſim impertiri dignetur: omnémq́ rectam actionem noſtram, Deo propoſitam, ſtabilem nobis manſionem perhibet. Quoniam ſuper iuſtos oculi Domini, & ad eorum preces eius paratisſimæ aures.

Præcedit autem hanc rogationem, ſummi rerum æſtimatoris agnitio, operúmque illius

perceptio,

perceptio: quæ quidē, quo maior eſt, eo magis precantem propè Deum euehit. ſine enim fide, quæ uera eſt agnitio, Deo quidem placere, factu impoſſibile arbitratur Paulus. Noſtra deinde expiatio, omnimodáq; ſynceritas animi, quæ immunitate affectuum, & uirtutū operatione innaſcitur. neq;.n. habitabit iuxta Deum malignus, neq; ante eius oculos permanebūt iniuſti. Sed qui incedit ſine macula, & operatur iuſtitiam, qui loquitur ueritatem, & reliqua.

Necnon cōtactus animi noſtri, & cum Deo adiunctio. Deo enim adhærere bonum eſt, quia qui ab eo elongantur, pereunt: & hoc quatenus mentis apice, ſuperſubſtantialem illius eſſentiam (ut nobis licet) attingimus: & contēplatione erecti, quæ à rectis opinionibus, quas de Diuinis concepimus, euenit, omnem noſtram intellectionem ad eum dirigimus. Ac una cum Dauide, uiua uoce inquimus. Adhæſit anima noſtra, non pauimento, ſed tibi Domine, cuius nempè in lumine ſemper lumen inſpicimus.

Indéq; cum Deo nobis unio contingit, ſed unum animum quoq; eſſe, & non multa conuenit. nihil enim propè unum poteſt accedere, niſi

unum & ipsum effectum fuerit: ut in Deo, ut Deus, omnes unum, inuicemque sint itidem, & absoluti denique hoc in uno cuncti appareant. Quod & Moses nobis, solus nubem ingrediēs persuasit. multitudine omni, impetu scilicet rationalium affectuum infestantium, seniorum opinionum, ac sensuum, & Aaron, anima scilicet ratione prædita, iccircò fratre, & sacerdote posthabitis. Quia tunc unum ipsum, quod in nobis gerimus, uni Deo adiungitur, ab eoque fouetur atque perficitur, & una mentis nostræ operatio (si dicere fas est) eadem cum summi Patris operatione efficitur. ita quod non amplius nobis, sed Deo uiuimus: & concordes Dauidi dicimus. In morte non est, qui memor est tui Domine, cum tu uita sis, uiuentium omnium. Et de uirtute in uirtutem procedimus, in eius inenarrabili manentes lumine, eique persimiles euadere credimus, ut Deus Deorum denique in Sion appareat.

Et hic absolutissimus rogationis finis habetur, ut reuersionem nostram Dei stabilitati associet: totumque id, quod à Dei unitate prouenit; ipsi unitati restituat: lumenque, quod in nobis est; Deorum comprehendat lumine. Apposité

positè itaque animi in cœlum reuersionem, molitur precatio, propterea cunctis præter unum, rogare semper conuenit. etiam si Angelorum uniuersos intelligas ordines. Nam & qui uirtute maxima præditus est, is quoque hoc medio rogationis reuertendi in cœlum indiget: quippè cum hic ille sit, qui de profunda Dei operationum clamat indagine, & uocem illius exaudit Dominus.

Verum ut hæc rogatio, breuis, iugis, syncera, ac propria sit, necesse est. Quæ igitur hactenus de precibus inspicienda erant, hæc nimirum sunt: earumq; essentiam esse patuit: quæ congregat, uinculoq; indissolubili connectit, & colligat Deo sempiterno animas secundisq; primas conciliat. Absolutionem uerò, quia ab infernis, ac humillimis ea incipiens, in diuinam unionem desinit, paulatimq; assuefacit animum, ut intrepidè recipiat lumen ineffabile fulgentissimi trini Dei radii.

Efficacitatem uerò eius, quæ bona Dei inenarrabilia, fusim effundit enixè rogantibus, nostraq; qualia sint; Deo quidem accepta, ac communia efficit.

Rogationis autem effectiua causa censetur

immensa Dei potestas, & operatio, quæ mentem nostram, ut rectè postulet, instruit: suóque benignissimo lumine uiam illi in cœlum reuertendi assiduè ostendit. Nostrámq; peruicaciam, uariis modis, paternáq; ad se charitate euocat.

Finalis uerò, bona immaculata, ac inexhausta, quæ animus adipiscitur, penès Deum positus ac stabilitus.

Exemplaris autem, primæuæ rerum essentiales causæ, quæ à summo bono prodiere, cum ipso æui principio, sempérq; Deo unitæ permanent, unione quidem inenarrabili.

Formalis deinde, animi nostri cũ Deo unio, quæ quidẽ nos illi (ut potest) assimilat, uitamq; nostram uniuersam undiq; absoluit.

At materialis deniq;, medium, mediáue, & leges, quas rerum essentiis summus opifex tradidit: ut auctoris sui, cæterarúmq; causarum per gradus meminisse, & ad eas sese hoc medio conuertere, ualeant.

Verum quia, pro ubertate segetum, expiatione aeris, Regum pace, tranquillitate temporum, imbrium opportunitate, uitæq; necessariis nos plerunque preces effundere consue-

uimus, harum omniū animaduertat uir Christianus, primam, absolutam, præcipuámque censeri precationē, quæ ueniam delictorum, & salutem animi orat. Iccircò & huius duntaxat Vates noster hic meminit: ceu illius, à qua facillimè exoratur Dominus, inquiens. Domine libera animam meam, à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Et paulò inferius. Dominus custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam Dominus. Quoniam nil (crede Christo) prodesset homini, si uniuersa, quæ mundus continet, ex uoto obtinuerit; animæ uero suæ detrimentum fecerit.

His itaq; sic peractis Pater Beatissime, Vatisq; germana (ni fallor) ostensa sententia circa Graduum, uel Ascensuum inscriptionem, numerum eorum, naturam, & ordinem; ad enarrationem nunc cuiusque Psalmorum, singillatim, strictim, carptimque (quantum necessitas patitur) qualiscunq; ipse sum, deuenio: Diuini flatus prius implorato auxilio.

Ad Dominum, cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me.

Eos, qui propter uirtutem, & diuinam scientiam

ſcientiam tribulantur, ſubitò exaudit Dominus.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.

Hoc eſt, à mente, & cogitationibus. lingua enim mentem, labia uerò cogitationes inferunt: quia rixas miſcent, iurgia prouocant, ueritatem odio proſequuntur, diſſeminant malitiam, & amplectuntur mendacium, doloſq́ꝫ contexunt aſsiduè, in quibus demum ſeptem nequitiæ ſpiritus inhabitant.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam.

Nil quidem peius, cum ſit ueritati oppoſita, lignúmq; uitæ in ſe non obtineat, ſed omni in tempore diſſeminet ſcandala, turbando, ut acuta iacula, animum innocentium, & ut carbones ardentes, nocentium abſumendo eſſentiam, & iniquos habitus.

Iacula potentis acuta, cum carbonibus deſolatorijs.

Nullum genus armorum, nos tam apte poteſt protegere, aut iaculis aduerſarii noſtri Diaboli obſiſtere, quàm ipſamet Chriſti tela, uel iacula, & carbones, qui ligna, herbam, ſtipulámq; abſumunt, quæ eſt cuiuſque

malitiæ

malitiæ leuitas, etenim si est telum Dilectionis secundum sponsam, quæ in Cãtica, Amore enim illa uulnerata inquit, Ego sum; est utiq; & Iustitiæ, Continentiæ, Fortitudinis, cæterarumq; uirtutum, quibus uulnerati populi, cadunt sub pedibus Domini.

Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cædar, multum incola fuit anima mea, cum his, qui oderunt pacem.

Diutinam animi à cœlesti patria peregrinationem deplorat: præsertim, quia coactum eum uiderat habitare in tenebris. Cædar enim nigredinem, tristitiamq; (suo more) denotat, & cum his scilicet sensibus, animæq; affectibus, qui longè à quiete, statuq; tranquillo illius sunt, conuersare compulsum. Verum hic ego non ab re quærerem, si idem arbitrandum, quod in præsentiarum dicit Vates, hei mihi, & reliqua. & illud, ne deducas me in medietate dierum meorum; An ibi forsitan Dies Vates appellauit, quas timor Dei (secundum Salomonem) adiungit, quæ à Sole iustitiæ prodeunt, in quibus etiam Abraam plenus dierum obiit. Hic autem uitam deplorat, obnoxiam sensibus, in qua diu pius animus in ser-

ſeruitute manere permittitur: miſſus forſitan (ut Petrus, cæteriq́ eius ſimiles) ut proprio inſeruirent generi: à qua quidem diſſolui cupit & Paulus, ut debita deinde, ac propria libertate, & dignitate potiatur.

Eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Tunc præcipuè magis moleſti, ac infeſtiſſimi pugnaces Demones fiunt, quando quis, etiam ad eorum inſertas cogitationes reſpondet, quod quidem Chriſtus noſter ſeruator, exemplo tentationis ſuæ, in deſerto paſſæ, nos admonet. Id autem agere ſobrii intellectus proprium cenſeo: nollent enim inimici nos in pugna continentes exiſtere, ne intellectionibus abundemus, quæ eorum prauis cogitationibus obſiſtere queant, quibus niſi ſtrenuè occurratur, ſimul atque a malignis ſuggeſtæ ſunt, eædem diutius in nobis hærentes, coinquinant, & peruertunt animum. Propterea rectè in prouerbiis Salomon admonet. deſili, ne in loco eius perſeueres, oculum'ue tuum in eam non coniicias, hoc eſt, in obſiſtentem malitiam, uel potentiam, quam ille impudicæ mulieri aſsimilat.

CANTVS ASCENSVVM SECVNDVS.

HIc quoque Psalmus ad ascensum, & reuersionem hortatur animum, qui ægre ferens seruitutem delicti, & corporis, tristis, & conturbatus ad scalam rediit, spe Diuini auxilii eum ad inceptum opus obseruando, cum nondum plenè fide ille munitus uideretur. Ni mauis quòd sensus Vates nostros per hunc expiare tentet, ut dudum diximus.

Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium meum, Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram.

Omnes cogitationes meas fide certa, & spe indubia, direxi ad altissimum: unde opportunum expecto auxilium: quia & potest, & uult, prompteque exaudit eos, qui illum, ut omnipotentem exquirunt.

Non des in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui custodit te.

Quod quidem si feceris, firmusque in hoc proposito steteris, à nulla maligni cogitatione perturbari poteris, nec eius persuasionibus commoueri: sed in tuæ eminentia uirtutis consistens, in aula Hierusalem

pedes tuos firmabis : in petra Christi scilicet ualidissima : ita ut nusquam deturbari possint gressus, cogitationesq; tuæ, quas iuxta mandata Dei ad salutem direxeris: sed in omni tempore, custodem uigilem, Dei inquam obtinebis prouidentiam.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Nunquam enim peruigil Dei prouidentia desinet animi nostri uniuersitatem custodire.

Dominus custodiet te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Alterius nanq; ope necesse est, ad te tuendum ab insidiis potentis aduersarii : quoniam manus tua non sufficit. nullæ enim opes, uel uires humanæ sine Dei auxilio existimantur.

Diei Sol non uret te, neq; Luna per noctem.

Sol iste (ut arbitror) ille est, qui super effusam, atque conspersam terram, hoc est, uariis cogitationibus uanis animum, in dies oritur : uerum uti infructuosam, eam non fouet, sed urit, & exsiccat. pari pacto & Luna, iuxta quam insipiens & ipsamet sæpe immutatur uario. Solem autem diei dixit, quia nunquam dies sine Sole, Lunam autem non noctis, quia

quælibet nox Lunæ non illustratur lumine.

Dominus custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam Dominus.

Dominus custodiet introitum tuum, & exitum tuum, ex nunc, & usq; in seculum.

Egressum scilicet, qui de uitiis ad uirtutem, & ingressum, qui ex uirtute ad Dei agnitionem, atque scientiam, quæ æuiterno, ut ille, in tempore permanet.

CANTVS ASCENSVVM TERTIVS.

PRAECEDENTEM Psalmum illis, qui non plenè à nexu sensuum, & seruitute corporis erant liberati, scitè Vates accommodauerat: præsentem uero eis, qui iam tunc reuersionis acceperant nuntium, de delictis, & ignorantia, ad uirtutem, & scientiam.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Symmachus autem ait, lætatus sum ubi mihi dixere, in domum Domini peruenimus, steterunt pedes nostri in portis tuis Hierusalem. Inopinatus enim boni nuntius magnnm nobis

solet

ſolet afferre gaudium. Domus autem Domini, peroptatum habetur ſanctorum conſortium, inter quos, & ipſe Deus inhabitat. quamobrem non immeritò illi lætantur, qui ad huiuſmodi tranquillum ſtatum, & Deo dignum ſodalitium, peruenire dignati ſunt.

Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem.

Etenim dum uirtutis excellentiam obtinemus, & in portis, uel atriis Hieruſalem, quæ eſt inſpectio Dei uirtutis, atque ſcientiæ, per actiuam uitam deuenimus, pedes noſtros utiq; ibi firmabimus, hoc eſt intellectiones uniuerſas, quas ad Chriſtum Seruatorem noſtrum, ut in firmam petram ab initio direximus, quæ'q; nos denique ad ſalutem perduxerunt.

Hieruſalem ædificata ut ciuitas, cuius participatio eius in id ipſum.

Rem contentam hic Vates pro continente accepit: ut & Paulus, Dilectio non eſt procax, hoc eſt, qui dilectionem obtinet, ita & in cœlis cognitionem, & uirtutem Dei obtinentes, ædificati ſunt, ut bene inſtituta ciuitas

uitas

uitas, uidelicet in unione indiſſolubili, conſtituti ſunt, unoq́ ſolis intelligibilis lumine cuncti indiſcriminatim participant, ut tamen mentis cuiuſque uirtus, & excellentia meruit: nec obſtant manſiones multæ, ſiue uariæ dixeris. nam & Sol, quem oculis cernimus, licet ille æque omnibus luceat, humana tamen lumina, ut ferre poſſunt plus, minus'ue, ſplendorem illius participant, & qui deducuntur radii de centro ad globi ambitum, parem ſeruant in omnibus mutuamq́ diſtantiam.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomini Domini.

Textus præſens ſententiam aſcenſus animi plenè comprobat, in quo Vates aſſeuerat, quòd ad uirtutes Euangelicas, Deiq́ agnitionem, non Iſrael duntaxat, ſed (ad illius opprobrium) & uniuerſas gentes, quæ Chriſti legem acceperant, confluere uiderat: cum tamen prius ſolus Iſrael ad eiuſmodi uocaretur munera. proinde non diffidens ut cæteri, qui Chriſti cœleſtem R. P. ex paruo ciuium numero conſtare exiſtimant, ſed firmiter tenens, illuc cunctis aſcendere uolentibus, ampliſſimum patere

aditum,

aditum, totq; futuros esse incolas, qui hunc fatentur Deum omnium, quot cœlum gerit sydera, & arenæ grana maris littora, ut Deus olim Abraam spoponderat, & gentem magnam, ac uariam, quam Ioannes dinumerare non potuit.

Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David.

Sedes quidem, ualida potestas Domini est, Domus uerò David (qui dilectum significat) sanctorum omnium dignum consortium, qui firmati potestate Domini, uenient in iudicium, non ut iudicentur, sed ut iniquos iudicent.

Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem, & abundantia diligentibus te.

Symmachus autem hoc pacto uertit, placide Hierusalem amplectimini, quia quiescent quidem, qui eam diligunt. etenim si Hierusalem pacis uisio absoluta censetur, ciuitas uerò cõuentus multorum hominum; qui pacem Hierusalem postulauerit, sibi ipsi utique quietem, statumq; imperturbatum acquiret. quam profectò quietem qui adamauerit, nil sibi deinde ad absolutam felicitatem deerit, sed effusa diuinæ inspectionis gratia ditabitur.

Fiat

Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Symmachus uerò, pax in mœniis tuis, quies in regia tua. nos uerò utroque modo textum ſignificare dicimus animum actioni, & cõtemplationi deditum. uirtus enim, & mœnia actionem, turris uerò, & regia contemplationem inferunt: & quemadmodum ubiq; turres, & regia ſuperant mœnia; ſic & actionem contemplatio. At quia per uirtutis opera animus affectuum uacuitatem nanciſcitur; per contemplationem uerò ſummi boni fruitionem adipiſcitur; propterea Vates illi pacem, quæ peroptabilis ei finis eſt, huic uerò inſpectionem abundantem euenire peroptat, ut quiſq; ſuorũ operum dignam tandem retributionem accipiat.

Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te: propter domum Domini noſtri, quæſiui bona tibi.

Sed ne à quoquam de terreſtri Hieruſalẽ, & diruptioni obnoxia, Vatem hæc dixiſſe uideretur; in fine adhibuit, hæc ſe quidem rogaſſe pro fratribus ſuis, & proximis. Domini enim cuncti, eiuſdem uirtutis æmuli, proximi, fratresq; inuicem putantur. qui cũ actioni dediti

ſint, pacem pro hiſce quæſiuit: pro contem-
platiuis uerò, cum ſint domus, & templum Do-
mini, in quo ille ſolet quieſcere, boni fruitio-
nem obteſtatur.

CANTVS ASCENSVVM QVARTVS.

FRVCTVM humilitatis perutilem, quæ pœnitenti poſt delictum innaſcitur, Vates in præſentiarum oſtendit. Vehementer enim quis deliquit, ut ſibi ignoſcatur, humiliatur, auxiliumq; firmum à ſolo Domino expectare, ſpe indubia denotat, uti ſeruus non odioſus ab hero, & hera propria.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.

Deus quidem in cœleſtibus corporibus, per uariam, ac multiformem ipſius ſapientiam, tanquam opifex degit: in eſſentiis autem intelligibilibus, ut Iuſtitia, Veritas, Sapientia, ac uerè bonitas, quieſcit.

Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Qui ſpiritum ſeruitutis, timori obnoxium poſsident, horum oculi meritò in manibus do-
minorum,

minorum, & heræ ſunt, ueriti pœnas luere ob commiſſa facinora. qui uerò ſpiritum adoptionis obtinent, hi procul dubio in Dominum oculos coniiciunt, uti patrem miſericordem, & clementiſsimum: à quo etiam omnium delictorum ſuorum ueniam (ſi reſipuerint) firmiter ſperant, adipiſci.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione.

Non.n. ut idonei, miſericordiã poſcimus, ſed ut illi, qui probris obnoxii, & digni reprehẽſione (erroris cauſa) facti ſumus. Geminatio uerò dictionis, intẽſum petitionis deſideriũ denotat.

Quia multum repleta eſt anima noſtra.

Symmachus autem, quia ſaturata eſt anima noſtra, tuæ ſcilicet bonitatis, & pietatis ſpe confirmata, quamuis ſuperbi, elatiq; animo nobis maledicant, uitamq; degentes lautam, noſtram extenuent.

Opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

Rectè profectò abundare peccatores dicuntur, diuitiis patris eorum Diaboli ditati. etenim haudquaquam aliud eorum abundantia arbitratur, quàm ſine impedimento corporis uoluptatum fruitio.

CANTVS ASCENSVVM QVINTVS.



VITAM peccato ducentes obnoxiam, ab uno duntaxat Dæmone, qui illi delicto præest, infestantur. unum enim uni natura meritò opposuit. Qui uerò pluribus est implicitus uitiis, inuicem nõ subordinatis, à plerisq; etiam odiosis Dæmonibus dominatur. Pari pacto & qui uirtutis exercẽt opera, si plura, plures; si unum, singulum, illis, uel illi oppositum offendunt persequutorẽ Diabolum. propterea recte animaduertit Salomon, inquiens, si spiritus potestatem habentis in te ascenderit, hoc est si spiritus nequitiæ, te inuaserit, locum tuum non deseras: illi scilicet æquitate strenuè opposita, & si odii, dilectionem, & sic de singulis. Septem enim nequiores spiritus eos debellare audent, quos deprehendũt inertes, & incautos. quamobrem in hoc quoque psalmo Vates admonet, inferens, non unum, sed quinque cum incœpissent uirtutis exercere nomina, & terræ, ac aquæ propemodum deposuissent ponderosam crassitudinem, quinq; gradibus eorum iam tũc posthabitis; & ferè in medio itineris ascensus perue-

peruenissent; multos ait infestãtes ibi offendisse Dæmones: quibus nisi Deus ualidè obstitisset, haudquaquàm hi eorũ effugissent laqueos: sed & hosce illi, ut plerosq; alios, uiuos utiq; deglutissent. quippe cum munitissima obsidetur ciuitas, magnus quidem conatus, & impetus multitudinis concurrit debellantiũ hostium.

Nisi quia Deus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, forte uiuos deglutissent nos.

Viuum quidem proditorem Iudam deglutiuerunt Dæmones: habebat enim ante proditionem uitam, quæ ego sum uita dixerat, quam sua prauitate deseruit. hos autem mortuos aduersarii deuorant, qui ab ineunte ætate uariis in uitiis, & continuata malitia nutriuntur, & uiuunt. Dæmones autem accepi pro hominibus, quia Symmachus, pro hominibus, inimicos uerterat. horum autem in testem adducit animum, quem Israel comparat.

Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Solent enim Dæmones tunc uehementer irasci, & infestissimi fieri, quando mentem sobriam etiam eorum malis cogitationibus ob-

ſiſtere cernunt, quas cogitationes Vates hic aquas metaphorice nuncupauit, ut enim illæ corpus, ſic hæ eædem animum in profundum, ſi diu permanſerint, demergere conſueuerunt.

Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.

Per torrentem quidem, peruerſas intellectiones, uel tentationes arbitratur temporaneas: quia diutius illæ nõ permanent, ſed repente in mente cum oriuntur, ut torrens à pluuiali auſtro, illicò etiam exareſcunt. quæ ſi diu manerent; Vates ambigit, an per ſe animus eas explere potuiſſet, diuino non adhibito auxilio.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum. Anima noſtra, ſicut paſſer, erepta eſt de laqueo uenantium.

Humillimè, grato'que animo pii homines & imbecillitatem fatentur propriã, diuinamq́; poteſtatem, omnium bonorum, ac cuiuſque opis fatentur præcipuam cauſam, & inimicorum uires, ualidasq́; oſtendunt inſidias, cum hos

hos eosdem uenatoribus, se ipsos autem passeribus comparent.

Laqueus contritus est, et liberati sumus, adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum, et terram.

Prisca profectò lex, quam testamentum alio nomine nuncupamus; laqueos, qui in actione consistunt, infringit, sanciens: Ne committas adulterium. Recentior autem, eos quoq;, qui secundum mentem fiunt, abrumpit, præcipiens: Ne concupiscas. Verum in Abimelech laqueum actionis Deus dissoluit, non permittens ei ut uxorem Abraam attingeret. In Ioseph autem mentis etiam distraxit uinculum: haudquaquam enim ille Dominam propriam amatus concupiscere uoluit. proinde beatus quidem, cui Dominus laqueum actionis infringit: beatior autem, cui eum, qui mente contingit, abrumpit. omnino autem laqueo detineri non posse, omnesq; mundi superare tenebras, soli Christo Seruatori fuit peculiare, & proprium: qui peccatum, non commisit, & in ore eius fraus non est inuenta.

Cantus

CANTVS ASCENSVVM SEXTVS.

QVI uictoriam aduersus internum, & externum hostem hactenus consequuti sunt; hoc carmen iure merito in uictoriam adeptæ libertatis celebrant, speiq; potestatem, quam illi in Deo posuere, debitis extollunt præconiis.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.

Mens contemplationi, uel actioni dedita, in qua Deus, ut in monte Sion inhabitat; profunda tranquillitate fruetur assiduè, nec malignus felicitatem illius deturbare poterit: quamdiu in tali perseuerabit proposito. quod planum nobis Vates effecit, dum qui habitat in Hierusalem, non qui habitauit, dixit: quoniam uirtutes, ac bene, beateq; uiuendi opera in semper fieri esse sui obtinent.

Montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Nam licet eam mentem infructuosæ, & asperrimæ suggestiones circumdabunt Dæmonum, (mons enim Lebiatham ille dicitur, montiumq; fundamenta propterea ab ira Domini

conturbari,

conturbari, alibi Vates perhibet. Babylonemq; matrem vitiorum omnium, ſuper ſeptem montes reſiſtere Ioannes aſſeuerat. quos quidem ego, ſeptem nequitiæ nequiores ſpiritus eſſe exiſtimo, nil menti tamen ritè diſpoſitæ, virtutæq; munitæ, officere peterunt. Valens enim excelſi perpetua poteſtas, primigeniorum dignum conſortium, vndequaque ſtipat, & fortiter munit.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum, ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

Quid autem per virgam peccatorùm intelligendum? ignorantia nempé, vel poteſtas puniendi Dæmonum, de qua ſiquidem dictũ eſt: virgam poſtulantium diſsipaſti Domine, non permittes ſibi, vt in portione Sanctorum perueniant. At ſi ſors iuſtorum, Dei nimirum cognitio, atque ſcientia eſt; in ſortem autem iuſtorum virgam peccatorum non relinquet Dominus; haudquaquam igitur Deus iuſtos in ignorantia verſari permittet: ne illis hæc eadem, vt peccatoribus, peccandi cauſa fiat.

Bene fac Domine bonis, & rectis corde.

Vt condignam retributionem virtutis pro-

priæ, à Domino boni nanciſcantur; toto pe-
ctore Diuinus Vates obteſtatur.

Eos autem, qui in tortuoſas declinant, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax ſuper Iſrael.

Nam quemadmodum boni præmia ob virtutem merebuntur, ita & mali caſtigationem propter vitia patientur, vt tandem audire valeas Domine, quòd iuſtus es, & æquum tuum iudicium. hi autem in tortuoſas declinare cenſentur, qui prauis cogitationibus, ſimulataq; fide, ac vana ſcientia, mandata peruertunt, Deique malè declarant placita. dixit autem cum operantibus iniquitatem, non qui operati ſunt, vt Dei piam iuſtitiam afferat, quæ præteritorum delictorum non meminit, modo ſint bona præſentia. at ſicut peruerſi cum operentibus iniquitatem peribunt; ſic boni pacem Dei vnà cum Chriſto poſsidentes regnabunt.

CANTVS ASCENSVVM VII.

Est Deus opt. max. æterni inquam patris ſempiternus filius, cuncta quidem in omnibus: fuſimque implet, quæ protulit, conſeruat amplectendo, ac perennitate do-

te donata continet. quapropter rectè dictũ est, cuncta Deo repleta sunt, viæ, portus, & regiæ. à summo enim ille ad centrum vsq; profluens, suo ineffabili lumine, à centro quoq; extensus, & in se rursus conuersus, attingit extima, mediamq́; vniuersam simul comprehendit materiam. Sedes enim ei cœlum est, terra autem pedum illius subsellium. ipse autem suo vniuersum explet spiritu. motuq; cœli iugi, vniformi, atque celerrimo, iter ęuiternum naturæ dirigit: licetq; in varias partes scindi credatur à materia media, id tamen non patitur, sed intelligibili suo splendore, etiam solidiora permeans, illęsus semper permanet: sese cuiq; naturæ ratione præditę, vt sapientia offerens: huic quidem per ænigmata, illi verò ex operibus, vel auersus (si libet) medio angularis lapidis, quemadmodum virtus cuiusque, & bonitas meruit. quo sanè medio, tendit omnes (nisi obstiterint) paterna pietate deducere, à seruitute materiæ, quæ quidem est ignoratio, ad boni cognitionẽ, & scientiam, vt posśint se, & creatorẽ agnoscere, atq; vnde descenderint: quoue regio signati sint signo, & cuius gerant imaginem; vt cunctis id verum esse appareat: nempe parẽtis vniuersi

voluntatem esse, vt neque vnus hominum pereat, qui immunitatem affectuum adeptus sit, vt paruulus. At qui male animati sunt, pronæque voluntatis ad malum, obediunt, & pristina libertate contempta, reuerti negligunt. quotquot autê paternam pietatem erga Deum seruauerint; hi omnes à nexu materiæ liberati, ac propriam felicitatem ab Ascensu cernentes, in hunc Psalmum; gaudent, orantq;, vt eadem felicitate cuncti sui generis homines, potiri læti, ac perfrui valeant.

In conuertendo Dominus captiuitatem Syon, facti sumus sicut consolati.

Si animi ratione prediti transitio de virtute ad vitium, & à scientia ad ignorantiam conuersio, captiuitas, duraque habetur seruitus; proculdubio, motio opposita, libertas illi existimanda est.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exulsiatione.

Hoc est actiuis, cogitatio repleta est gaudio, nactis vacuitatem affectuum: contemplationi verò deditis, mens eorum exultauit, summi inquam, boni inspectione dignati.

Tunc dicent inter gentes: magnificauit Dominus facere cum eis. ma-

eis. magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Nam Abraham, & Isaac, cum essent aduenæ, priuatique cognatione, & opibus; Abimelech tamen, & Ephron, cæterique huius generis Reges fœdus cum eis inire rogauerunt: quia Deum cum illis esse agnouerant. Sed & Sennacherib Dux Assyriorum, ex magna suorum strage, & nece insolita, Deum esse cum Ezechia Rege, & Iudæorum populo nouit. quod & longè prius Pharaon, & Aegyptij, ductu Mosis, clarè perceperant: summo suo cum detrimento, & bonorum lætitia. Prætereo Apostolorum, & Martyrum exempla, ne æquo sim longior. cum his autem Deum habitare dicimus, qui se dignum habitaculum, actiuæ vitæ medio, vel contemplatiuæ, vel vtriusque simul, Deo effecerunt. Etenim inter iniquitates ille non habitat, vt Diuo quoque Paulo placuit.

Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro.

Cuncta sanè bona, quæ bonis ex libertate assequuta euenerant; ea omnibus quidem sui generis contingere quoque peroptant, ita vt libertate

bertate & illi adepta, multitudo reuertentium torrentem æmuletur. Vel alio modo. Auster omnium flatuum humidissimus arbitratur: idcircò nebulis vndequaque aerem implet, imbresque maximos gignit, niues prætereà soluit, torrentesque aquis abundare facit. hoc igitur pacto tu quoque Domine concede rogamus, vt omnes nostri generis, qui ob ignorantiam, & delicta in varias partes sunt dispersi, per libertatem in vnum conueniant, vt multi demum sint, qui tuam potastatem, & nomen collaudent.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant, portantes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Qui actiuam vitam in hoc sequuntur sæculo, laboris, & perturbationum fœcundissimam, & quæ angusta via dicitur; in lacrymis seminare dicuntur: qui deinde Dei scientiam, & sapientiam, omni tranquillitate refertam, sunt consequuti, in lætitia metent. Vel & aliter, & forsan melius, omnes boni, virtutis semina habentes, è vita decedunt: At quemadmodum lacrymæ sequuntur semina, sic manipulos, qui

fructus

fructus ſeminum ſunt, comitatur lætitia. ſemper tamen ad menſuram intellige ſeminum.

CANTVS ASCENSVVM VIII.



VAM perutile cunctis ſit, qui anguſtam viam ingreſsi ſunt, in quacunque eorum afflictione, & opere, non proprijs viribus, ſed ſolo Deo confidere, præſens Pſalmus pios admonet.

Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam.

Id Chriſticolæ dicere conuenit: increpando ſuperbos, vel elatas animi conceptiones, Diaboli opera ſuggeſtas, oprimendo. nemo enim mentis compos, qui domum ædificat, vel ciuitatem cuſtodit, quę animum noſtrum, & Eccleſiam denotat; ſpem in propria poteſtate debet ponere: ſed diuinum ſemper implorare auxilium. etenim hoc cooperante, & adiuuante, ædificare, & cuſtodire, facillimum eſt. Deo autem opem huiuſmodi denegante,

quilibet

quilibet conatus, & quæque hominum opera, inanis vtique, & frustratoria arbitranda.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.

Humanus quidem animus, quatenus domus Dei arbitratur, in se Christum, vt herum domus obtinet. sed & si templum efficiatur, hunc eundem, vt Deum retinet. Insuper per actiuam vitam, vt dominum, naturali autem contemplatione, vt Regem ipsum aquirit. Per diuinarum autem dissertationem, quam Græci Theologiam appellant, nimirum vt Deum habebit. Verum enimuerò, posteriorem conditionem duæ priores necessariò sequuntur, secundamq; pariter prima: haudquaquam etiam oppositum. quoniam qui Christum in se, vti Deum obtinet, ipse vtique vt Regem, & vt dominum obtinebit. At qui vt Dominum duntaxat, non etiam vt Regem, & Deum protinus.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Qui autem neutro modo Deum in se obtinet, sed in potestate confidit propria, stultus siquidem est, & vanitatis pane vescitur, frustraq;

straq; uigilat, & incassum laborat, etiam quòd sæpe, ac sæpius, de nocte surgat, postquam quieuerit, excubias multiplicet: & domus fundamenta dilatet: cum sit eius uinea, secundum Salomonem, spinis, & urticis fœcunda, pigerq; in bono dormitat: licet in malo uigilet. Vitis enim, quæ infert animum, nisi in uinea, quæ Christus est, manserit, fructus reddere non ualet. At quæ infructuosa est, summus Pater agricola, spinis eam, quæ malæ cogitationes sunt Dæmonum, expurgare non curat.

Cum dederit dilectis suis somnum.

Dilecti Deo sunt, qui sapientiam amplectuntur, dictum enim est, Ama eam, & diliget te. Somnus autem, contemplatio putatur: nam quemadmodum somnus à sensibilibus sensus auocat, pari pacto, & Dei contemplatio, animum à corpore præditis dirimit, ne diffidet aliquis, quia sicut dormientes, nos dormire non percipimus, ita & in contemplatione uersantes, contemplari non animaduertimus.

Ecce hæreditas Domini, filij merces fructus uentris.

Peracta comparatione eorum, qui confi=dunt in Domino, uel in propriis uiribus, nunc utriusq; lucrum, quod inde assequitur, consi=derat, inquiens: quod hi, uti filii dilectissimi, profunda tranquillitate, & quiete, ob uirtu-tis potientur merita, Deiq; hæredes, Christi autem cohæredes, in sortem Angelorum de-uenient, fontesq; aquæ uitæ, ac sapientiæ è uen tre eorum scaturient, ut & Salomon sapienti pollicetur filio.

Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excusso=rum.

Mali uerò, qui impuras cogitationes, ut sa=gittas, Dæmonum admiserunt, quæq; cogita uerant, operati sunt perperam, impuriq; facti, erunt semper in potestate potentis aduersarii, sicut malorum filii, qui à sagena, & piscium electorum numero, uel à tritico nitido, uti zi=zania, à bonis excussi, eiectiq; sunt, ob eorum malitiam. Dixit uerò potentem Diabolum, nam & alibi protulit, eripiet me de inimicis meis fortissimis. quoniam antequàm Chri=stus noster Seruator, his in mundi illuxisset te nebris, ualidiores nobis erant Dæmones: post=quàm uerò sol ille iustitiæ apparuit, dedit no=

bis

bis poteſtatem, caput cuiuſq; ſerpentis, & ſcorpionis, peſſundare, & ſuper omnem inimici potentiam ambulare.

Beatus uir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in portam.

Oſtenſa diuerſitate præmii, ex diuerſitate operum aquiſiti, nunc omiſsis malis, eos hominum beatos declarat, qui ab huiuſmodi fructibus uentris ſui, quæ uirtutes ſunt Euãgelicæ, & æterna Dei ſcientia, ſuum deſiderium expleuerant. quia uera inde ſapientia præditi, acquirent proprias intellectiones utiq;, quibus ſuggeſtis Dæmonum cogitationibus foras ualidè occurrent, & ſuis inimicis intrepidè reſpondebunt.

CANTVS ASCENSVVM. IX.

CVM in ſuperiori Pſalmo, planè ſiquidem oſtendiſſet, quòd bonorum cauſa extiterit, Deo firmiter confidiſſe, eòs in præſenti beatos indicat, qui confidentiæ timorem Domini adiunxere: cuius timoris cauſa, poſſeſsio uirtutis aquiritur, quoniam cir-

ca mandata recta uersatio, animum nostrum à caducis erigit; ueri autem cognitio, uariò eum dilatat, & hoc sanè medio, absolutissimus aquiritur terminus, finisq; piis optabilis, ac ritè credentibus beatitas euenit.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in uijs eius.

Si timor Domini dierum multitudinem addit, beati utiq; qui Dominum timent. rursus si initium sapientiæ timor Domini censetur, beati itidem, qui Dominum timent. Insuper si timore Domini quilibet declinat à malo, & semitas frequentat Domini, beati siquidem qui Dominum timent.

Labores manuum tuarum manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Symmachus uero, fructus laborum tuorum manducabis. labores autem manuum, opera actionum sunt: laborum uerò fructus, intellectiones, contemplationis medio aquisitæ. quibus non nisi animus cum in hoc, tum in futuro fruitur sæculo, quia ab eo seiungi, alii'ue tribui nequeunt, ea propter beatus arbitratur, & est.

Vxor tua, sicut uitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Vxor intellectus sapientia arbitratur. ait enim Salomon. ama eam, & custodiet te. obserua illam, & amplectetur te: ab eaq; aquires uerba scita, & docta, ac doctas sententias. per hæc uerba nos admonens, cuilibet uolenti sapientiam esse propriam. sed & hic, animam ratione præditam, cui facultas differendi tribuitur, intelligi posse, nemo est qui ambigat: quia & intellectus sororem, idemmet Salomon, eam quandoquidē nominat. Nam etiam ipsa à patre omnium prouenit: boniq; fit particeps: quæ quidem anima, synceris, ac ueris cogitationibus fœcundissima, ut fructuosa uinea, naturali intellectus parieti inhærendo, cuncta quæ sua sibi industria acquisiuit, quemadmodum Salomonis laudabilis mulier dilectissimo tradit coniugi, ut diues, geminam'q; pretiosam uirtutum, & contemplationis uestem gestans, penès omnes suos ciues gloriosus appareat.

Filij tui, sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.

Opera tua scilicet, tàm ab actione, quàm à cōtemplatione, uti filii, nō sine labore tibi genita,

ut

ut oliuarum fructus, clementiæ, ac charitatis, fœcundissima, fidem tuam ambibunt, & animum stipando, ubique gentium comitabuntur. Causa enim munerum, hoc est operum, quæ altaris medio offeruntur, idest fidei, expiari delicta consueuerunt. & Læuitæ, qui animum complicatum corpori inferunt, & in Dei ministerio traditum, solis hisce muneribus mēsæ uitam, uel altaris sustinent: ut animus etiam in fidei operibus uiuificatur.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Quia à timore Domini legis obseruatio oritur, ab hac uerò fusa sapientiæ Dei agnitio, indeq; rursus uera fruitio atq; beatitas euenit homini.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, & uidebis bona Hierusalem, omnibus diebus uitæ tuæ.

Perinde ac si diceret, dignetur Dominus, qui super Cherubim, omniq; in conuentu intelligibili, sua cum immensa sapientia, ut in excubiis, huius mundi residet, te, in collegium sanctorum admittere, ubi cum cæteris, sempiterno tempore, profunda tranquillitate, & minime perturbata quiete, perfrui possis: quæ bo-

na Hierusalem, ut (censeo) arbitrantur.

Et uideas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Et operum tuorum scilicet fructus adipisci ualeas, qui quidem fructus tibi, & cuiq; uirtute tui simili, boni uniuersi, & quietis existent causa. non enim hic de filiis naturalibus Vates loquitur, sed de uirtutis operibus, quas quidem uirtutes superius oliuarum germina appellauit. Quod & alibi planum nobis Salomon effecit, afferens. Vir bonus filiis filiorum hæreditario succedet nomine. hoc est fructus suarum uirtutum percipiet. nam illic non patres filiis in hæreditate ex optato succedunt; quia naturæ ordo turbatus cernitur, sed filii magis patribus.

CANTVS ASCENSVVM X.



IRRITAM esse pugnam Dæmonum aduersus eos, qui hanc Scalam pergunt ascendere, Vates in hoc Psalmo denotat. Quoniam omne, quod ab alio, tanquam à causa prouenit, ad illud etiam necessariò conuertitur. nam uel esse tantum ab

eo accipit, & iuxta id etiam traducitur: uel etiam uiuit præter hoc, & ratione mouetur, ac regitur, & per hæc omnia itidem deuoluitur: æquæ enim mensuræ conuersionis, atq; productionis habentur in omnibus. Etenim si proueniret duntaxat, ad causam uerò propriam non retrogrederetur, ipsam equidem non appeteret, quoniam omne quod appetit, ad id quod appetit, conuersum est. Atqui cuncta bonum affectant, & eorum desiderium, per proximam cuiusq; efficitur causam. Cuncta igitur sui natura propriam appetunt causam, quoniam per quod esse cuique, & bene esse contingit, & à quo bene esse illi contingit, illud quoq; primò appetitur. At cuius gratia desiderium rei oritur, ad id idem etiam primò conuertitur. proinde in gyro conuersiones cum fiant, à quo res quælibet immediatè prouenit, ad illud itidem absque medio refertur, quod autem medium in progressione admittit, id idem & in conuersione desiderat. Verum propinquioribus primæ causæ minores reuolutiones globi contingit fieri: remotioribus autem grandiores progressio autem à perfectissimo omnium incipiens, ad deteriora usque procedit, à dete-

rioribus

rioribus deinde fit ad meliora conuersio. prima itaque in conuersione deteriora sunt, posteriora autem meliora. Deteriora autem, sensus perturbationes, & affectuum impetus censeo. Varii enim cum sint animarum habitus, necesse quoque est fieri inclinationes persimiles. hinc est, quod multa mala animo eueniunt, tumultus'que eum inuadunt maximi, ex quibus solent homini pleraque aduersa contingere: hæc quidem à generatione, & materia, illa uerò sui incuria, ac procaci malignitate Diaboli, mentis oculum perturbantis, & optatum ad superos reditum prohibentis: quia in dies ab initio tentationes, & plagas amplificat. qui uerò illi strenuè resistit, ut hic Dauidem fecisse apparet, confundit persequutorem cum eius machinis. Excussisq; zizaniis, quæ nitido pertinax ille dispersit tritico, nil contra nos utique potuisse ostendet. Cunctisq; propalam faciet, Scalæ huius ascensum, & reuersionis ad superos, esse naturæ congruum; hominiq; perutile, ut supra probauimus, hic uerò manere, præter naturam, nostrum'q; ab improbo aduersario uiolari consilium.

Multoties pugnarunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael.

Mentem, quæ ſe à perturbationibus, tum iræ, & concupiſcentiæ, tum etiam Dæmonum inuictam ſeruauerat, in teſtem Dauidiam nunc adducit, quæ quidem mens propterea Iſrael appellatur. & hoc ſibi contigiſſe aſſeuerat, ab ineunte ætate, quam iuuentutem uocat, & uſq; ad ætatem integram, quam annorum quadraginta ambitu Moſes Magnus effinxerat per tot enim ſpatia ſeruitutem Pharaonis effugiens, per deſerta in uaria diſtractam loca deerrare uiderat. in hoc enim ætatis ſpatio interni feruores ualidiores fieri conſueuerunt, potentiores facti naturæ impetu. Idcircò aduerſus animum hoſtili manu in dies irruunt.

Multoties pugnarunt me, à iuuentute mea, ſed non potuerunt mihi.

Nam ſi ſapiens auriga, noſtra mens ſi quidem, frenis, & habenis ualidis, crebriſq́ uerberibus, cenſura rationis ſcilicet, equos effrenatos, iræ uim, & concupiſcentiæ puta, ab initio, uti iure naturæ, illis præpoſita, obtemperare ſibi coegerit, eorum inſultationes nil, mihi crede, aduerſus mentem poterunt. Itidem prauis,

uis cõgitationibus à Diabolo immiſſis, ſi ſtatim pia mente occurritur, haudquaquam aduerſus animum illæ mali, aliquid moliri poterunt. per repetitam autem dictionem, perturbationum uim, frequentemq; infeſtantium affectuum impetum denotat.

Super dorſum meum, fabricauerunt peccatores.

Aquillas autem, & Theodotion, arauere peccatores uertunt. hoc eſt, aduerſus me, multiplicarunt tentationes, ut lapides, in muri fabricantes congerie, uel ut qui arant terram, eam ſæpius perſtringunt, & mouent uariò.

Prolongauerunt iniquitatem ſuam.

Iniquitatem ſuam, inimici prorogant, crebras infeſtationes mẽti cogitationibus, uel corpori plagis inferentes, ut de Iob legitur.

Dominus iuſtus conciderat ceruices peccatorum.

Ea enim æterni Dei iuſtitia eſt, ne quis bonus à malis diu iniquè infeſtetur. propterea quamcunq; uim maligni, quouis modo operantem, contriuerat. uel inſidias, & infeſtationes, ſi mauis dicere. nam Theodotion uincula, Symmachus uerè laqueos peccatorum, loco ceruicis uertunt.

Confundantur, & conuertantur retrò omnes, qui oderunt Sion.

Id est confundantur omnes, qui sapientiam, uel sapientem prosequuntur odio, terga'que cogantur uertere: quia Deus pro bonis acerrimè ubique resistit.

Fiant sicut fœnum tectorum, quod, priusquam euellatur, exaruit.

Momentaneam eorum dissipationem expostulat, ne diutius manentes, crebrò mala bonis inferant. Symmachus autem hoc pacto uertit, priusquam florescat, exaruit: quod magis orationi, & comparationi conuenire uidetur.

De quo non impleuit manum suam, qui metit, & sinum eius, qui manipulos colligit.

Hi profectò manipuli, zizaniorum sunt manipuli. propterea mentem, quæ actioni dedita est, & metit, & quæ contemplationi, & manipulos colligit, explere nequeunt: quoniam non sunt de supplemento ipsius, qui cuncta in omnibus explet.

Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super uos, Benediximus uobis in nomine Domini.

Pro-

Propterea & beati, qui more uiatorum, hunc mundum prætereunt, eos, ait, non laudant, nec benedictionem Dei esse cum illis existimant, qui hosce manipulos colligunt: quia malitiæ, & ignorantiæ habentur manipuli.

CANTVS ASCENSVVM. XI.

DIVINAE bonitatis, ea est constans natura, propensa uoluntas, & uirtus inuariabilis, non inuidere cæteris, quinimò fusim innumera bona, quæ ipsa possidet, cæteris, pro mensura perfectionis cuiusq;, impertiri rebus supremis, & infimis. Quamobrem, non contenta suo sola splendore, uita felicissima, & amplitudine perfrui, diffundere suam bonitatem usq; ad infera uoluit, ut multa sint, quæ illam participent, diuinisq; ornentur beneficiis, unde maxima sibi laus oriretur. propterea primò intelligibilia constituere numina statuit, lumina nempè secundaria, ministra primi splendoris, ac sapientiæ, siue mentes secundas illa esse intelliges, siue ignem, materia priuatum, & corpore, siue quid aliud, horum simillimum,

millimum, ad malum minime prona, uel difficillime, inflatione monitus Luciferi. Vt quæ propiora Deo sunt, primos'que splendoris radios, inde benignè suscipiunt: circaq; illum, sacra cum reuerentia peruolant. At quia sibi, hæc absoluta uisa sunt, secundum mundum intelligit: sensu quidem perceptibilem, quia corpore præditum, animantium uerò uarietate fœcundissimum, qui cœlo, & elementis, cæteris'que, quæ ex hisce coalescunt, conficiatur. delectabilis quidem, pulchritudine uaria, sed magis admirabilis harmonica consonantia, ordine sublimiori, ac dispositione, motu'que inuariabili, ut non modo sibi proximam summus opifex, sed & longè diuersam ostenderet, posse rerum naturam producere. simul uerò affectans coniungere extima, ne confusus ordo, & interruptus appareat, in re tàm recte disposita, sensus, & mentem longo inter se distantes tramite, in unum conferre uoluit: unumq; ex tam diuersis, materiale inquam, & intelligibile, conflare ratione præditum animal. propterea à terra tunc præexistente corpus assumpsit: à se uerò uitam infudit, quam nos intellectiuum animum, &

Dei

Dei appellamus imaginem, totum'que ſimul, hominem nominat, quod nomen dicit im-memorem, iuxta Moſis formulas, eum'que uti alterum Angelum, mundum'que ſecunda-rium, in paruo magnum, in terris conſtituit, regem terreſtrium omnium, arbitrii libertate præditum, æternum, & corruptibilem, me-dium inter humilitatem, & excellentiam, hoc quidem, ut ſe agnoſcens, benefactorem lau-det, illud uerò, ut patiatur quandoquidem, & emendetur, ſuam ſublimitatem contempe-rans. Hunc ciuem, & cultorem paradiſi ef-fecerat (qualiſcunque ille paradiſus fuerit) nu dum hercle, quia ſimplicem, & uitam duce-bat ſine labore, & artium cultu, legem'que ei tradidit, ſubiectam arbitrio materiam ſta-tuens. lex autem mandatum extitit quibus liceret uti paradiſi fructibus, Diuinis in-tellectionibus puta, ſimplicioribus, & quo minime uti liceret, ligno ſapientiæ ſcilicet intellectionibus abſolutis, & quæ abſolu-tis uirtute duntaxat conueniunt. Bene ab initio ibi poſitum, optimo'que conſilio, non inuidia prohibitum, neque enim cibus durior infanti, ac lactenti expedit.

Quo=

Quoniam uerò homo praui Dæmonis inuidia & in consulta seductæ mulieris temeritate, obli tus Domini mandati, uetitum illum fructum, amarè gustauit, illico exul paradisi à Domino, declaratur longe'q; propter malitiam, à ligno uitæ, Deiq; inspectione propellitur, pelliceasq; induitur uestes, crassiorem, ac moribundam, priori'q; oppositam materiam arbitror. inde'q; primò errorem agnoscit proprium, Deiq; con spectum ob inobedientiam effugiens, mortem pro delicto nanciscitur: id autem, ne peccatum sempiternum fieret. hoc enim misericordiæ me dio, Deus quidem mortalium errata solet cor rigere. & sic singulari unius hominis delicto, omne genus mortalium mortis reum effici- tur. Sed uario modo hæc prosapia, prius cor repta, & diuerso in tempore, ratione, prophe tis, minis, plagis, beneficiis, aquis, igne, bel= lis sæuissimis, signis in cœlo, in terra, in ma= ri, in aere, hominum repentinis mutationibus: & hæc omnia, ut euanescerent delicta filiorum hominum, quæ proterua malitiæ radix iam pri dem protulerat, & tunc præ cæteris uigebant, ut puta, stupra, adulteria, homicidia, periu- ria, coitus præter naturam, & quod, erat om-
nium

nium deterrimum, idolorum cultus, & manuum operũ adoratio, ſpreto auctore omniũ. Tandem quia in grauioribus morbis validiori opus eſt remedio, tale quoque pientiſsimus omnium pater adhibuit: poſt habitis noſtris demeritis, non malitijs, non inſidijs, non ſua poteſtate, quæ cuncta ſuperat; ſed paterna charitate, & inuiolata iuſtitia. Suum enim vnigenitum filium, noſtrum redemptorem eſſe voluit. vt vnde eſſe cuique mortalium euenit, & bene eſſe contingeret. Propterea lumen, quod ſplendeſcit à lumine: & ſummus Rex, qui à ſummo Rege prouenit: imago ſempiterna patris inenarrabilis, fons cuiuſque perennitatis, felicitatis, & vitæ (mirabile dictu) ad moribundam accedit compaginem: carnemq; aſſumit, & intellectualem animã, ob Adam carnem, & animam, in omnibus præter peccatum filijs hominum ſimilis: ac ſecunda vice ſe ſe humanæ ſorti communicat. Verum, quantum tunc nobis de meliori tradidit; tãtundem nunc de deteriori ille aſſumpſit. Et finis huius eminentiſsimi, ac incomprehenſibilis myſterij, vt imaginem deperditam patri reſtitueret, mortalemq;, & caducum corticem immortalitate donaret,

cœlumq́; conciliaret hominibus, terram verò in cœlum traheret. Idcirco, vt homo à ſemper virgine, ſine humano pruritu, purus à puris ſanguinibus genitus humilis, laborauit, ſitis, & famis enectus inedia. vigilauit, humanam miſeriam non ſemel defleuit, viam cœleſtem, & patrem altiſsimum, ſolum Deum eſſe, operibus quæ vires humanas ſuperant; ſanaque, ac veraci doctrina omnibus oſtendit. varijs ſe ſubiecit diſcriminibus. poſtremò ab ingrato Iudæorum populo deprehenſus, vti latro funibus vincitur, ſpinis coronatur, vapulatur, à malignis ſpernitur, ſputiſq́; eius diuina facies petitur, cruci demum affigitur, apertumq́; eſt latus eius lancea, calicem guſtat cuiuſque amaritudinis: vt nullus ſit ſenſus eius, nulla pars corporis expers flagelli, & ignominiæ. & hoc quidem medio, vt ſua paſsione dilueret vniuerſa delicta, quæ Adam inobediens perpetrauerat: omnemq́; labem membrorũ, & corporis eius expiaret, & animi, ſuiq́; pretioſiſsimi ſanguinis merito, humanum genus, non modo reconciliaret patri altiſsimo; ſed etiam in cœlum amicè illud deduceret. Ac poſt tot tormenta, ac cruciatus, moritur denique. & hic altæ iuſtitię

tu conſidera limites, quia nunc iudicium mundi eſt; nunc princeps huius mundi foras eijcitur. Nam primus noſter parens, quia prohibitum auidè fructum deguſtauit; morti quidem ille, uniuerſaq; ſua proſapia traditur. In hoc enim illa, licet inſons in cæteris, particeps erat criminis & ſic malignus, paruo ab initio, tractu porrò temporis, magnum lucrum effecit. Sed & hac eadem lege uincitur, ac non modo tàm præclara hominum præda ſpoliatur, verũ etiam regno, & poteſtate detruditur. Etenim occidere hominem, populo parricidæ ſuaſerat, expertem delicti originis. Veniet enim (inquit Ieſus) Princeps huius mundi, & in me non inueniet quicquam. & necatum, uti reum deuorare cogitauit: qui peccatum tamen non cognouerat, & in ore eius, nunquam fraus apparuit. & ita æqua lance iuſtitiæ, tot quidem per unum iniquè deuoratum, immanis helluo unico temporis momento euomuit, quotquot per unum tranſgreſſorem, impuro gurgiti, tam diù pro peccato, ingurgitare ſibi permiſſum fuerat; quos triumphator Chriſtus, dux præclarus reſurrectionis, redemptos ſuo pretioſiſſimo ſanguine, ſecum glorioſus in cœlum euexit.

xit. Hæc cum animaduertiſſet vates Habacuc, profundæ ſapientiæ Dei opera, ſtans in ſua matutina excubiarum vigilia, protulit. Domine tuam auditionem audiens timui: & opera tua perſcrutatus obſtupui. hæc eadem, & noſter eminentiſsimus Vates proſpiciens, indeq́; libertatem humani generis agnoſcens, De profundis, ait, clamaſſe ad Dominum, vt vocem eius exaudiat; & aduentum ſuum properet, erratis noſtris poſt habitis: ex hoc enim ſolo ſalus vniuerſi ſperatur, & prouenit.

De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi uocem meam.

Qui profunditatem ſapientiæ, & miſteriorum Dei ſcrutatur, is vtique de profundis clamare ad Dominum dicitur, cuius & vocē exaudit, quia iuſtificationes & eius perquirit iudicia.

Fiant aures tuæ intendentes, in uocem deprecationis meæ.

Propenſam Dei voluntatem, qua enixe rogantium iuſtas preces benignè exaudit, votiſq; decentibus ſatis facit, Vates in præſentia aures appellauit.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? quoniam apud te propitiatio est.

Hoc est, si errata, quæ cogitando etiam fiunt, & animum polluendo à Dei cognitione reuellunt; consideraueris Domine; nemo siquidem hominum dignus cognitionis, Deiq; scientiæ iudicabitur. quis enim gloriari poterit, cor mundum, & immaculatum habere? vel quis audacter, fidenterq; proferre poterit, se se immunem à labe peccati existere? quoniam nemo ait, purus à sorde est, etiam si horæ spatio vita eius circumscripta fuerit. Sed hęc nobis Dominum non imputaturum nouimus, quia, & maiora condonauit, cum illius hostes essemus, non autem, vt nunc sumus, adoptionis filij.

Propter nomen tuum sustinui te Domine, sustinuit anima mea in verbo tuo, sperauit anima mea in Domino.

Perinde ac si diceret. propter sapientiam tuam expectaui te Domine, minimeque perturbationum impetu commotus sum: sed cuncta patienter, fortique, ac infracto perferens animo, à timore tuo confirmatus, rerum experientia edoctus, spe firma, minimeque dubia, om-

omnes meas actiones in te direxeram: à te ſolo ſalutem uenturam proſpiciens.

A' cuſtodia matutina vſque ad noctem, à cuſtodia matutina ſperet Iſrael in Domino.

Apud Græcam lectionem, dictio à cuſtodia matutina ita, ut in præſenti textu, repetita legitur, & rectè ni fallor. Nam per primam, à cuſtodia matutina, & vſque ad noctem, totã præſentem mortalium vitam comprehendit: in ſecunda uerò, uitam futuram intelligit hominum, noctis expertem, & lucis fœcundiſsimã, in qua uere ſperatur ſemper in Domino. ſiue mortis, & paſsionis tempus Chriſti; per primam intelligit; per ſecundam uerò, nobis matutinam vigiliam reſurrectionis indicat. in qua quidem iuſti non fruſtra ſperaſſe aſsiduè, viderunt in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.

Omitto claram textus inrelligentiam, nam de redemptione humani generis, propter immenſam Dei miſericordiam operata, apertè loquitur, & id, quod de anima humano corpori complicata arbitrari poteſt, infero. Tunc

enim mens à delictis, quæ cogitatione perpetrantur, liberatur, cum dignus cognitionis animus, & ſapientiæ iudicabitur. haudquaquam enim cordis cogitationes actiua uita, ſed affectu percitas intellectiones diſsipat, vel aufert. Cognitio autem rerum, & ſapientia, cordis quoque cogitationes delere, eaſque prorſus euellere ualet. Etenim poſtquàm mens noſtra proprias contẽplationes acquiſierit, cogitationes, quæ ab inimicis immittuntur, obſiſtendo repellit.

CANTVS ASCENSVVM XII.



DE mansuetudine animi, Vatis oratio, in præsenti Psalmo, nos admonet, sine qua vacuitatem affectuum, & vitam felicem homo nequit acquirere, & vt virtutum præcipuam, in extremo mundi scalæ gradu collocauit.

Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.

Affectum detestabilem superbiæ animi, & vituperabilem inflationem cogitationum, cordis exaltationem, & oculorum elationem appellauit. Cor enim animum, oculi verò cogitationes significant. At cogitationes, quia circa morticinas ambitiones versantur, quas tempus absumit, & in nihilum redigit; pedum ambulationi comparauit: mentem vero, quoniã circa sublimiora attollitur, mirabilia dixit. huius exemplum nobis arrogantia præbet Luciferi, illius verò Pharaonis, & Nabuchodonosor intolerantia comprobat: qui propter odiosam eorum insolẽtiam, opposita munera passi sunt

ſunt manſuetudinis.

Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, ſicut ablactatus eſt in matre ſua, ita retributio in anima mea. Speret Iſrael in Domino, ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

Verum ſi altiora affectare uolui, neque deteriora, ac humillima concupiui, animum'ue emancipaui corpori, quia uirtutum extima uituperanda noueram, ſed animi ſublimitate ſeruata, uacuitate affectuum, ſibi quæ competerent, ſimplici, puroq; animo uolui, moderateq; appetere, ut me tandem meæ adiungerem cauſæ, & in gyrum reuerti, unde prodieram, boniſq; illius perfrui, quemadmodum agnus lactens, in matris erectus uberibus. niſi enim in puerorum (ait ſeruator) naturam conuerſi fueritis, regnum cœlorum adire non poteritis. hoc eſt, niſi paſsionum corporis, liberi, uti paruuli, extiteritis, digni inſpectionis Dei, & ſapientiæ non arbitrabimini, neq; in numero ſemper ſperantium in Domino, computabimini.

CANTVS ASCENSVVM XIII.


SVPERATIS iam aſcenſus, duodecim infra mundanis gradibus, cœlum Dauid glorioſus ingreditur: ſuam præferens, uti præcipuam operum, dudum acquiſitam manſuetudinem, cæterarumq́ uirtutum comitatus caterua, fidenter ait ad Dominum.

Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.

Ipſius meminit Dominus; cum quo quidem adeſt: & illius non meminit, à quo ſiquidem abeſt. At ſi manſuetudinis meminit Dominus, magna nimirum animi moderatione quiſque indiget, ut condignè Deum in ſe recipere ualeat. Etenim manſuetudo, tranquillitas, & ſtatus minimè perturbatus habetur animi, quæ uoluptatum corruptibilium uacuitate cauſatur.

Qui iurauit Domino, & rogauit Deum Iacob.

Bonum eſt pio homini, dare iuſiurandum Domino, legem ſuam, quantum in eo eſt, inuiolatam ſeruare in omnibus, & mandata non negli-

negligere: & id quod Domino teste promiserit, retinere conetur: sed & eundem rogare Deum Iacob non desinet, cui primo Scalam hanc, & uiam cœlestem ostenderat, parentemq́ multarum elegerat gentium, quæ sanctorum censetur ecclesia, qui quidem Dominus imbecillitate nostra cognita, adiuuare dignetur: uiuaq́ uoce quisq́ assiduè proferat, fac me posse, quod uis Domine: quia bonum, quod ego uolo, sine te agere non ualeo, confidere enim in telo, & arcu meo, non debeo, nec ensis meus, mihi sufficiet,

Si enim introiero in temporario domicilio domus meæ, & si ascendero in lectum strati mei, non dabo somnum oculis meis, & palpebris dormitationem, & requiem temporibus, donec inueniam locum Domino, habitaculum Deo Iacob.

Domum suam, mundum hunc appellat sensibilem, Domicilium uerò temporarium, corpus caducum, quòd Græci nominant σκήνωμα lectum autem strati sui, oblectamenta, & commoda, quæ diuitias, & mortalium semper sequuntur honores, & gloriam. Somnum deinde oculorum, animi ratione præditi cogitationes. Dormitationem palpebrarum, frui-

tionem ſenſuum, quietem deniq; temporum, laxamentum totius uitæ curriculi, perinde, ac ſi diceret. rogaui Dominum Iacob, ut me ſua pietate adiuuet, quia poſteaquam corticem corporeum ſubire mihi contigit, etiam quòd omnia commoda, dignitates humanas, & ſceptra mihi conceſſerit; iuraui mè nunquam mente, cogitatione, ſenſu'ue quiẻturum, donec dignum me Deo Iacob habitaculum eſſecero: locumq́ illi congruum in anima mea reſidendi parauero: expiata quacunque labe, quæ menti, uel cogitationi, mea negligentia, & maligni opera, ſibi contigerit, dignis'que Deo intellectionibus, & uirtutum operibus, exornauero. & hoc iuxta græcam lectionem textus, quam nos in hoc ſequimur. Sed & aliter, quæ etiam latinæ lectioni accommodari poterit. Si per ſcalam Dei oſtenſam Iacob, in quietem meam aſcendero, & in domum, & habitationem, tanquàm in debitam mihi manſionem, introiero, omnibuſq́ partibus animi, quietem dedero, opinioni ſcilicet, rationi, & menti, quas per tempora, oculos, & palpebras expreſsit; adhuc non quieſcam animo, donec locum Chriſti inuenero, qui eſt apparatus

ratus ſplendidiſsimus poteſtatum intelligibilium, ſanctorum'que dignum conſortium, & quæque mens, quæ ſe in conſortio corporis, puram ac immaculatam obſeruat, habitaculum Deo Iacob, quod Chriſtus nimirum eſt, æterna patris ſapientia, quam in ſyluis inueni, & reliqua.

Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis ſyluæ.

Apud Hebreos Ephrata, Mariam ſignificat, inuenimus eam, de ſapientia uaticinando ait, quæ ſiquidē Chriſtus eſt, audiuiſſe autem eam in Ephrata inquit, quia Chriſti prouidebat aduentum. inueniſſe autem in campis ſyluæ, quoniam accedens Vates in cœlum, ibi illam inuenerat. In cāpis ſyluæ, hoc eſt, in planitie, terraq; recta, quò ſpiritus bonus ducit integros, multis latebris abditam, uel ut ramoſa ſylua, cuiq; illuc temerè uolenti accedere, aditum negantem.

Introibimus in tabernacula eius, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes eius.

Vt puta in Regiam eius, penetrabimus, & ſanctorum habitacula, plurali enim numero, Græca ponit lectio. carnemq; Dei adorabimus,

mus, non quia eiuſmodi naturam obtineat, ſed quoniam Chriſtus in ea eſt. At caro propter Chriſtum adoratur: Chriſtus autem, ob uerbum Dei, quod in eo eſt. Chriſtum autem hic appello, beatam ratione præditam animam, quæ cum uerbo Dei in uitam acceſsit hominum. Etenim ſola caro haudquaquam Deum recipere nata eſt: quoniam Deus noſter ſapientia eſt, licet in corde bono, afferat Salomon, ſapientiam quieſcere: at nullum, quod ex quatuor elementis conflatur, ſapientiam ualet recipere, nobis autem ſolet, pro cuiuſque menſura purificationis innoteſcere. animo igitur, non corde, Deus nobis percipitur, niſi cor, pro intellectu acceperis, quod & alibi ſic legimus.

Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.

Caro quidem aſſumpta, arca Chriſti utiq; eſt, Dei autem quies, Chriſtus porrò habetur, quia in Chriſto Deus erat, mundum ſibi immutans.

Sacerdotes tui, induant iuſtitiam, & ſancti tui exultent.

Quemad=

Quemadmodum quis induit iustitiam, pa-
ri pacto & fortitudinem, & dilectionem, cæte
rasq; uirtutes, & hoc est indumentum nuptia
rum, de quo fit in Euangeliis mentio. actiui
itaque uirtutum induunt opera, contemplati=
ui uerò exultant, sapientiæ contemplatione
acquisita.

Propter David seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.

Sæpe à nobis dictum est, primum quidem
Deum, quem alii Vnum, & Summum Bo-
num nuncupant, regnum huius mundi, & re-
gimen, uerbo suo, priori Angelis, unigenito,
ac multorum nominum filio, magniq; sui con
silii Angelo, tradidisse, quem sane mundum
illa sua bonitate, quam à superessentiali Pa-
tre, fonte cuiusque bonitatis, atque origine,
ante mundi constitutionem accepit, summa re
git iustitia, explet sua bonitate, & hac eadem
conseruat, omniumq; rerum moderatrice sa-
pientia prouidet, à quo si quidem mundo, si
hanc tutelam, quæ gubernatoris nauis manus
est, & prouidentiam dempseris, uel (ut Vates)
auerteris, quam sapientiæ Dei, & bonitatis,
quæ Christus est, Dauid appellauit faciem,

cunctaprotinus confundentur, & corruent, ut & alibi Vates dixit. aperiente te manum tuam, omnia replebuntur bonitate, auertente autem faciem tuam, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient. Sua itaque bonitate Vates fretus, fidenter rogat patrem omnium, ne ab hoc mundo sensibili, atque intelligibili, & conuentu Sanctorum omnium, suam tollat bonitatem, ac prouidentiam, unigenito filio traditam, quia statim ille, & illi, abirent in nihilum. Christum autem appellauit filium, à χρίω, græca dictione, quæ ungo significat. Diuinitatis enim uirtute, ac amplitudine humanam ille humilitatem unxerat, ut arcæ quoque lignum, quod corruptionem non suscipit, aurum contexit purissimum.

Iurauit Dominus Dauid ueritatem, & non frustrabitur eam.

Promissionis naturam immutabilem, iuramentum Vates nuncupauit. homines enim per sui maiorem iurare consueuerunt: Deus autem neminem se habet superiorem, per quem iurare ualeat, iccirco Deum iurare non arbitrandum.

De

De fructu uentris tui, ponam super sedem tuam.

Et dabit illi Deus,ait Mariæ Gabriel,sedem Dauidis patris eius,& regnabit in sæculis. dum de incarnatione Christi seruatoris loquitur. Sedes autem, manus fortis, Dei arbitratur, ac valida.

Si custodierint filij tui, testamentum meum, & testimonia mea, hæc quæ docebo eos, & filij eorum vsque in sæculum sedebunt super sedem tuam.

Si ad filios naturales Dauidis hæc conferre volueris, constantem promissionis obseruationem inuenies: quinimò etiam postquàm grauiter posteri illius dereliquerunt, detestandumq́ue idolorum cultum sequuti sunt; plerosq́ue eorum propter Dauidis merita adhuc Deus regnare permiserat. Verum quia non de temporario, sed de æuiterno regno videtur hic verba facere, propterea Vates obseruatoribus legis, & mandatorum Dei, qui sibi filij, vti suæ virtutis, & bonitatis æmuli sunt, regnum cœleste, quod nunquam deficiet, eandemq́, dignitatem, quam ille pro virtute meruit; arbitrandum in præsentia polliceri. Quòd si de Christi quoque regno vaticinari dixeris, quia Dauid dilectum significat; sedem quidē Dei,

natúram ratione præditam eſſe vt ſæpe diximus: Chriſti autem ſedem, contemplationẽ præteritorum, & futurorum ſæculorum cenſemus, & Diuorum vniuerſum collegium.

Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi.

Ideſt ſapientiam, & laudabilem ſapientum conuentum, in quibus vt in re ſibi maxime delectabili quieſcit: eiuſq́ue contubernium, & generoſitatem glorificat: vt etiam teſtatur Salomon.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.

Chriſtus Dei Patris ſapientia eſt, in ſapientia autem ille quieſcit in ſæculum, quia ſibi eã in habitationem elegit: ergo quieſcit in filiũ. ego enim, inquit in Patre, & Pater in me eſt: & qui in me manet, ille facit opera. Sed & in cœleſtibus quieſcit numinibus, & hominibus qui virtutis eorum ſunt æmuli: quatenus & ea illius ſapientiam, iuſtitiam, veritatem, & ipſammet bonitatem participant.

Portam eius benedicens benedicam.

Facilis fuit error Latinis, Viduam dicere. χήρα enim viduam, θύρα autem more Græcorũ,

por-

portam significat: sed nos, omnes textus antiquos septuaginta virorum quos vidimus; & Symmachi, Theodotionis, Aquilæ, & Eusebij conuersionem, legere portam inuenimus. Ac Sion vti arci Hierusalem, portam rectius, quàm viduam dicere conuenit: hæc enim ea porta est, quæ de virtute nobis ad Dei agnitionem ingressum exhibet: cuius portæ aditus negatus doloso est, de quo fit in Prouerbijs mentio. Ab eiusmodi quoq; porta egressę sunt epulæ, quas Iacob patri Isaac obtulit: & ea propter benedictionem meruit.

Pauperes eius, saturabo panibus, sacerdotes eius, induam salute, & sancti eius exultatione exultabunt.

Superius quia virtutum meminerat, & præcipue iustitiæ, quæ rationi, meliori parti animæ debita est; qua electione propria. ex se sacerdotes, & Actiui exercent; dixit Vates, induent iustitiam: hic autem, quia non loquitur de virtute propria opere acquisita, sed de largitione diuina, quę cuiq; merenti, pro dignitate tribuitur; ideò Vates in persona Domini infert. Sacerdotes eius induam salutem & reliqua. Indumentum enim nuptiarum nobis satis est, vt domum ingrediamur regiam: ac non

vt & locum in epulis occupemus ad libitum: ſed hoc ei datum eſt, qui noſcit eum qui in extima menſæ parte vti prudens accubuit, primam ſibi competere: traditq; panem, hoc eſt vitam, quæ de cœlo deſcendit; ſpiritu pauperibus: ſacerdotes verò, vt immenſam agnoſcant clementiam, vnde fons ſalutis humanæ propaginis prodijt: & ſancti eius, vltra dona præmiſſa exultent contemplatione dignati intima. Ita vt inde clarè pateat, tria eſſe varia Sion habitacula: Diuorum, ſacerdotum, pauperum; ſupra verò egenorum non meminit, quoniam omnis ſacerdos dignus, & ſanctus quilibet, actiuus, & contemplatiuus vtputa, humilis exiſtit ſpiritu: at non omnis egenus neceſſariò, ſacerdos & ſanctus vtiq;. Et hinc diſcrimen actiui a contemplatiuo dignoſcimus, quia agendo actiuus, veſtem actionis ex ſe induit: operatione verò ceſſante, alio indiget vt eum amictu cultiori ſalutis induat. At contemplatiuus, huc & illuc ſponte ſua, ac proprijs lætatur viribus; in ſe ferre agnoſcens ſui decoris initium: vt innatum menti donum, elargitum à ſuperis. Actiuos autem contemplatiuis præpoſuit: quia actio primò animum

ad agnitionem excitat, & in ſublimi erigit: excitatum deinde, contemplatio ſuſcipit: eũq; fouet, & in diuerſum dilatat.

Illuc oriri faciam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo. &c.

Id eſt, in ſacerdotum, pauperum, & ſanctorum collegio, quod cœleſtem Sion efficit. uti oriens Sol, apparere faciam meo dilectiſsimo filio, exaltationem, & fortitudinem. defenſionis enim cauſa, cornua cornigeris tradita ſunt: caputq; eorum exornant, vt Diadema regium. Quia ab eorum etiam digna proſapia, puriſq; Mariæ ſanguinibus, purpuram nempe contexeram regiam, & lucernam Chriſto meo paraueram, quæ lumen ſuſcepit inextinguibile: ardetq; charitatis medio, & luceſcet in ſæculum.

Inimicos eius induam confuſione.

Tum occiſores Iudæos, cum etiam Diabolum: illos quidem, qui arbitrati perperam ſunt; mortis obſcœnitate, tàm præclara geſta Chriſti, & eorum delere memoriam; hunc autem, quia dum hominem deuorare putaret, Deum magnum offenderat: à quo fuſus, debellatus, vniuerſaque ſua poteſtate (ſi qua eſt) & præda

ſpoliatus,tandem victus, in profundis detrũditur.

Super ipſum autem efflorebi t ſanctificatio mea.

Noſtra quidem ſanctificatio Chriſtus ſeruator eſt,Chriſti verò Deus.Eſt autem ſanctificatio, recta legis, & mandatorum Dei obſeruatio, quæ abſolutè, in abſolutiſsima Chriſti natura floruit; Iuſtitiã pro radice obtinens: fructus verò eius,vita æterna arbitratur & eſt.

CANTVS ASCENSVVM XIIII.



IS, & rixa, variò rerum naturam nata eſt diſtrahere, propterea ritè dictum eſt, Litem hunc mundum ſenſitiuum regere; amicitiam verò ſpherum intelligibilem, conſtituere. At ex aduerſo, pax parit concordiam, hæc verò, idem velle, & nolle,quod proximus,pariaq; ſentire in Domino. Propterea Chriſtus noſter Redemptor, pacem vbique ſuos diſcipulos admonet: fratresq; ſibi futuros annuntiat;ſimulque cum eo eſſe vbicumq; extiterit, cum vniuerſo cœtu credentium, ſi ſe ſe inuicem dilexerint: finemq;

debi-

debitum promiſsio habuit. hanc concordem vnionem igitur, & in vno tot Chriſti fratrum habitationem Vates proſpiciens, bonaq; quæ inde ſibi cõtingerant; vocem extollit inquiens.

Ecce quid bonum, vel quid iucundum, quàm habitare fratres in vnum.

Hi in eodem habitare cenſentur; qui idem in Domino ſentiunt: à quo trãquillitas quæq;, atque iucunditas prouenit.

Sicut vnguentum in capite.

In quorum habitantium mentem, Dei deſcendit ſapientia, quam vnguentum appellauit pretioſiſsimum: nam & alibi dicit, vnguentum exhauſtum nomen tuum.

Quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

Eiuſmodi namque barbam gerit quiſque, qui in perfectum virum, virtute abſolutum, & in menſuram ætatis, implementi Chriſti peruenit.

Quod deſcendit in oram veſtimenti eius.

Si indumentum Sacerdotum iuſtitia eſt; ſacerdotes enim tui dudum dixit, induent iuſtitiam, Aaron autem ſacerdos erat, indumentũ igitur eius, erat iuſtitia: in eiuſmodi itaq; barbam; & indumentum, vnguẽtum cœleſte venit,

nit, quod quidem ſapientia, Deiq; habetur agnitio.

Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Mons Hermon, quem Moſes in Deuteronomio Aermon vocat, & conſecratum hic ſignificat; mons eminentiſſimus trans Iordanẽ eſt. Sion autem, arx in Hieruſalem, minoris altitudinis: per quam duorum montium comparationem, id velle Vatem cenſeo, quòd quemadmodum mons altior, rore plus cœleſte participat; eumq; humilioribus impertitur; pari pactò, & Pater, primò ſapientiam ſuam, quam Vnguentum appellauit, filio tradidit ille verò ſuis fratribus, qui cœleſtem Sion, & ſanctorũ in cœlis, collegium faciunt; fuſim impertiuit, cum bonis cæteris. Nam vniuerſaliores cauſæ, bona quæ illæ obtinent, ideſt iuſtitiam, bonitatem, veritatem, ac ſapientiam, ſibi ſuppoſitis cauſis, liberè communicant: proximis quidem ſine medio, quæ autem procul ſunt; pluribus, vno'ue medio, cunctis enim ſe Deus ex æquo vt ſol ſenſibilibus offert; cuncta autem non eo pari pacto participant: ſed vnumquodque, Diuinæ bonitatis muneribus,

eatenus

eatenus fruitur; quatenus sibi, facultas traditur; & ordo dispositionis expostulat: mensuraq́; expiationis patitur.

Quoniam illic oriri fecit Dominus benedictionem, & vitã vsque in sæculum.

In hoc enim monte Sion, in quo Dei reside det sapientia, vti sol, Deus apparere efficit vitam & benedictionem suam, æuiterno tempore: quia ipse vita est, & quidquid ab eo filio est traditum, vitæ non minus, ac benedictionis habetur fœcundissimum.

CANTVS ASCENSVVM. XV.



ADmoniti à sacris plerunq; fuimus, Deum sibi cœlum pro habitatione vendicasse. terram autem colendam concessisse hominibus. Sed quæ illi Domus ibi sit, quid atrium, quæq; sacra nox intelligi debet, perquirere videtur non inutile. Super ignotum itaque vnum, quod cuique essentiæ supereminet, & ipsummet bonum est, Ternaria inquam vnitas, & in vnitate Trinitas, quæ pari Deitate, potestate, & bonitate

prædita eſt, & quæ nec verbis exprimi, mi-
nusque mente percipi poteſt, ſupremam par-
tem occupauit, vt Diuinarum placet diſcepta-
toribus: à quibus inſignis, animo, non diſſentit
Academicus, licet verbis quandoquidem, &
nominibus variet. De quorũ quidem ſentẽtia,
cæteri porrò ordines, quos nouẽ eſſe aſſerunt,
tres in cohortes, trium Trinitatum, inuicem
ſubordinatas ſunt collocati: quas tu gradus
abſolutionis eſſe intellige. Primumq; appara-
tum Thronis tribuunt: vndequaque ignitis,
verbo veritatis & lumine: Cherubin multi ocu
lis, immenſa ſapientia, & prouidentia prædi-
tis. & Seraphin aligeris, velociſsimis intelle-
ctionibus, Diuinæ bonitatis vndequaq; fœcun
diſsimis, tanquam ijs, qui Deo præ cæteris
Numinibus aſsiduè inhærent; abditamque &
incomprehenſibilem, non modo humanis cõ
gitationibus, ſed etiam angelorum intellectio-
nibus, Diuinam Trinitatem ambiunt: circaq;
ipſam, ſacra cum reuerentia continui volitãt;
immediateq; primæuas irradiationes illius ine
narrabilis luminis excipiunt: templi internum
parantes parietem, qui Sancta Sanctorum ſe-
gregat. noctemq; ſacram efficiunt, quæ Dei ar

cana

cana continet: & nubem fulgentem, quæ in montis cacumine olim Mosem contexerat. Nec fas est cuiquàm cœlestium numinum, murum illum transcendere, nec arcam plusquam deceat, intellectione pertingere, cum Ozam periculo sint admoniti, præterquàm Pontifici Maximo, qui semel pro semper, non in alieno sanguine, sed in proprio immaculato, ac sacratissimo, viuens se sacrificium, Patri Deo offerens, mundum à quauis labe expiauit.

Secundum verò Trinitatis ordinem Potestates, virili & inconcussa, fortitudine præditæ, Dominationes absoluunt & potẽtiæ, quæ modestè ad laudes supremæ bonitatis, ordine seruato decoris eriguntur; Sibiq; suppositos ordines, ad ididem, non vi potestatis insitæ, sed boni fruitione alliciunt, & excitant. & harum proprietatum medio, quas obtinet meritò hæc Trinitas, à sibi præposita Trinitate expiatur, illustratur, atque proficiscitur: sed mensura secundæ perfectionis intellige, quemadmodum ordo dispositionis secundus expostulat.

Tertiam verò intelligibilium pulchritudinem, Principatuum, Archangelorum, & Angelorum, perficiunt ordines: qui quidem Princi-

patùs, protenſionem, & conuerſionem abſolutam, quam ad primam illi efficiũt cauſam, regio quodam, ac ferè Diuino ordine, eam nominis, ac dignitatis ordine ſeruato abſoluunt. Archangelorum autem, eundem & ipſi ordinem, quem Principatus obtinent, mediumq; inter hos & Angelos, occupant: eademq;, quæ Principatus operatur, ſecundariò, extimaque qua bonitate præditi ſunt; in vnione amplectendo cõtinent. quiſque enim ſacer ordo cœleſtium, initium habet finem, & medium: vt ſit abſolutus in omnibus. Supremis Numinibus itaque hoc Archangelorum ſeries adiungitur ordine, qùia ad ſupraſubſtantiale & ipſa principium, principaliter verſa, tota quantum permittitur illi ſimilis effingitur. Angelis verò ſibi ſuppoſitis, cunctos Diuinos ſplendores, bonitatis, ac ſapientiæ, quos illa à ſupremis ordinibus cœpit; benignè illis infundit, ac fuſim annuntiat: & per hos ipſos Angelos, detegit hominibus iuxta abſolutionem & ſacrum ordinem eorum, qui dignati ſunt ab eiuſmodi fulgentiſsimis illuſtrari radijs, quæ Pater omnipotens patefacienda conceſſerat. Qui cœtus ſanctorum Angelorum, vniuerſos intelligibilium

terminant

terminant ordines, & quia nobis ſunt magis noti alijs nuntijq́ue benefici; eos appellamus prę cęteris Angelos. Et ſic bene diſpoſita, riteq; ordinata noſtra conuerſio, aſcenſus in patriã, ac Diuorum communio, noſtra ſplendeſcit cũ Domino pro virili denique vnio. Inter quos trium Trinitatum ordines inclytus Ieſus, Verbum Dei ſempiternum eminet: Parentis primogenita ratio (vti magnus Patris præſes) cui vniuerſi regimen eſt traditum. Sed primæ Trinitati præſidet vt Vnitas, quæ cunctas vnitates producit, & continet. Secundæ verò vt mens, omniumq; lux & origo mentium. Tertiæ autem vt vita, quia vniuerſa viuentia ab hac vita primò vt ſint, & ſemper ſint obtinent. Verum vbique incommunicabilem illum, minimeq; coordinatum multitudini intellige. Sed prima harum Trinitatum, caliginẽ ipſam denotat cuiq; ſublimiorem eſſentiæ, noctemq; ſacram, quæ mentem noſtram ſplendore ſuperat: Deiq; arcana continet: & nubem illam efficit, quæ contegit Patrem altiſsimum, & in monte Tabor, Chriſtum ſeruatorem obumbrauit, eiq; teſtimonium filiationis perhibuit: & quæ fulgentiſsimum Diuorum eſt habita-

 culum

culum, quia actiuæ vitæ illi contéplationi de-
ditam adiunxere. Secunda verò domum Do
mini, ac sacerdotum splendidissimum domi-
cilium dixerim. Tertiam deinde Dei aulam,
& humilium pauperum, illustre diuersorium.
omnesq; simul, dignis mansiones paratas, an-
tequàm mundus fieret. illic enim nihil inue-
nies humile, sed eiusmodi Regis excellentiæ
congruum, & maiestati auctoris conueniens,
& tres cœlos, non quos luminibus cernimus,
& delendos fore quandoq; credimus; sed quos
vix mente percipimus, quiq; Dei perpetuò e-
narrant gloriam. quorum sublimitatem, Pau
lus penetrando lustrauit: & quæ nō licet pro-
ferre audiuit. Hos eosdem, & Vates noster vi-
dit, postquàm tres supra mundanos huius sca
læ gradus ascendit: totamq; iustorum aciem
inuenit: mortisque effugiens laqueos, lætus
cœlicolas ad auctoris laudes hortatur, inquiés.

Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini.

Cuiusque ordinis mansionum habitatores,
qui sub leui, ac suaui iugo Domini colla spon
te, lætoq; posuistis animo, indeque adoptio-
nis acquisiuistis spiritum, nunc centuplicatum
adepti præmium vestris collatum meritis, gra

tias Domino boni auctori totis viribùs agite, vt non ingrato conuenit animo.

Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.

Vos inquam Actiui, qui in atrijs Domini legitis, & contemplatiui, qui in domum quoque Dei, & in abditis eius mentis acie penetratis. Vel & sic, qui has mansiones colitis, quæ Patris considerata eminentia, eius haben tur atria; domus verò arbitrantur filij. Proptereà domum præposuit atrijs, seruato quoad nos ordine: & hunc appellauit Dominum, vt vniuersi rectorem, & opificem: illum verò Deum nostrum, vti Regem altissimum, cuiusque negotij immunem, ac multitudinis.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.

At cæteri, qui actiuam vitam simul, & con templatiuam adamastis; & vltra eam. Christi quoque, quo ad fieri potuit in terris æmulastis; & cum mulieribus vos non coinquinastis: nec in ore vestro est inuentum mendacium: sed vti Deo ex hominibus, & agno immaculato primitiæ, puri ac immaculati sancti vocamini: & candidati, circumquaq; mon tem Sion, vbi degit Altissimus ambitis: postquàm

quàm vobis præ cæteris caliginem ipsam, & sacram noctem subire concessum fuerit; Intellectiones vestras (ait Vates) quas manus nuncupo, adiutas vestris virtutibus, ad sacra penetralia tollite: & cum Thronis, Cherubin, Seraphin, quatuor multioculis animalibus, nouam cantationem symphoniacam canite, quę sic eiusmodi; Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, qui erat, & est: rursusque venturus est. Vltraq; benedicentes addite. Dignus es Domine Deus noster gloriæ, benedictionis, honorisque eiusmodi: quia tu creasti à non esse omnia, eisque perennitatem, & huius gloriæ fruitionem, tua bonitate donasti: cum sui natura essent cuncta, abitura in nihilum.

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

Quia vniuerso huic sanctorum Collegio, Dominus à sede suæ sapientiæ, quæ Sion sacra appellatur à superis; sua bona inenarrabilia largietur: hoc est iustitiam, bonitatem, veritatem, ac sapientiam: profundamque tranquillitatem & quietem donabit: præteritorum deinde pręsentium omnium, ac futurorum cognitionem exactam: iuxta cuiusq; absolutio-

nem infundet; quæ abſoluta Dei habetur be-
nedictio. Potens enim ille eſt, id agere opere,
& propenſa voluntate præditus: qui iam cœ-
lum & terram, ac pulchritudinem, & felicita-
tem cœleſtem effecit. At qui hæc bona, cum
non eſſent, in ea ſublimi forma à deformitate
materiæ tanquàm à ſinu proprio in momen-
to protulit: verboq; ſuo inenarrabili, cuncta
indiſſolubili obligauit vinculo: facilius meren
ti, donare hæc eadem poterit: quæ tamen, vt
nobis quoque (licet indignis) ſua bonitate lar-
giatur enixè rogamus. Poſteaquàm cogita-
tiones noſtras à caducis erexerit. Inclinationē
verò cohibuerit, & rationis cenſura (vt decet)
ſubegerit, non permittens ſibi ad malum ferri
ſua ductam ratione carente impetu. excuſſaq;
mundi tenebroſa caligine, nos in indiſſolubi-
lem ſuę claritatis vnionem redegerit, & animū
deniq; à quacunque labe expiauerit. ſuæq; te-
lo dilectionis, noſtra deſideria vulnerauerit:
vt ad illum puri inſpicientes aſsiduè, ſuiq; be-
nigniſsimi oris illuſtrati lumine, efficiat vt in
nobis, non nos amplius, ſed Chriſtus viuat,
quod Diuo quoq; contigit Paulo, & perfecto
amatori cōuenit, qui quidē non in ſe, ſed viuit
in

in rei amatæ ſpecimine, & hoc pacto abſoluti virtutibus, & hanc ſcalam, quàm in hoc pro/greſſu ſtruximus ſuperatam; ad ſalutem tandem valeamus accedere, quæ finis eſt homini peroptabilis. Vbi Trinitatem Diuinã, Ducem ſapientiæ chriſtianorum tutiſſimum, fixo poſſimus ſpectare intuitu, quantum noſtræ ſcilicet humilitati illa permiſerit: eique ſempiter/nam cum angelis & ſanctorum lęto cõſortio, noſtris congruam viribus, laudem afferre poſcimus. Amen.

FINIS.

CASTIGATIONES ERRORVM qui in impreſsione contracti ſunt.

folio primo Aquyllas, pro Aquilas.
2 aſſenſum, pro deſtenſum.
9 proprius, pro propius. eodem, cupienti pro cupientis.
14 eſſentia hominem, pro homine.
20 ſupra naturalem, pro in ſupranaturalem.
22 alacriocres, pro alacriores.
eodem tergo, terræq; propior, pro terraq; propior.
25 nomiua, pro nomina.
26 tergo impetu ſcilicet rationalium, pro irrationalium.
31 mutuanq; diſtantiam, pro mutuam diſtantiam.
in eodem non diffidens, pro non diffides.
ſed firmiter tenens, pro teneas.
35 tergo explere potuiſſet, pro expelere.
52 cogitationis, pro cognitionis.
53 affectare volui, pro nolui.
57 deriliquerunt, pro deliquerunt.
58 propria opere, pro proprio opere.


Restauro del Libro
Badia
di
Cava